



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Princeton University Library



32101 077882734

RECAP

GOERTZ

2325

LIBRARY OF PRINCETON UNIVERSITY



Laudatur hic liber
a Reimmanno in Cata-
logo Bibliothecae suae
Tom. i. pag. 1294, nota-
tur tamen, quod poi-
retum, licet distimu-
lando, fuerit lectus,
et paradoxus vide-
atur pag. 136. adde
in *Unvollst. Aufsatz*
von de anno 1784 pag.
621. & iudicium de
Auctore in *Nac. Hist.*
Sammling Collegio
Historico-Literario.
Cap. IV. §. 59. pag. 715.

Generis Dignitatumq.
splendore. 13
Illustri
Orn.

R. J. de Wisberg
Ser. Elector. Br. Lunab.
Legato
Insigni summo Iustitiæ Sacratio
a Consiliis,
dono obtulit
Auctor

Anno.

Religio, pietas, cum ratione, fides.

IMMANUELIS PROELEI
DEMONSTRATIO
DE
CERTITUDINE
SENSUUM,
RATIONIS,
ET FIDEI

Qua
STATVS NATVRALIS,

inprimis autem

RELIGIONIS VERÆ

Principia, per Testimonium Spiritus S.
internum confirmata explicantur.

Accessit

DISSERTATIO,

qua

NATVRALIS RELIGIO HOMINIS
ET BONI CIVIS

evidenter demonstratur.

LIPSIAE,

Sumptibus THEOPHILI GEORGI,

ANNO M DCCIV.

Excudebat JOH. HEINR. RICHTERUS.

Princeton University

THE ...

...

...

...

...

...

...

*AUGUSTISSIMO. ET POTENTISSI-
MO PRINCIPI AC DOMINO*

DOMINO

FRIDERICO I.

**REGI BORUSSIÆ:
MARCHIONI BRANDEN.**

BURGICO:

**S.R.I. ARCHI-CAMERARIO
ET ELECTORI:**

**SUPREMO ARAUSIONUM PRINCIPI:
MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTI-
UM, STETTINI, POMERANORUM, CASSU-
BIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA CROS-
NÆ DUCI: BURGGRAFIO NORIMBERGEN-
SI: PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET
CAMINÆ: COMITI HOHENZOLLERANO,
MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, LINGÆ,
MOERSIÆ, BURÆ ET LEERDAMI: MAR-
CHIONI VERIARUM ET FLISSINGÆ: DO-
MINO IN RAVENSTEIN, NEC NON TER-
RARUM LAUENBURGI ET BITOW,
ARLAJÆ ET BREDÆ**

&c. &c. &c.

**REGI ET DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.**

AUGUSTISSIME ET PO-
TENTISSIME

REX,
DOMINE CLE-
MENTISSIME,



REGIAM MAJESTA-
TEM TVAM servus
ego & subjectus, sacris quibusdam
primitiis adeundi indulgentiam mi-
hi

DEDICATIO.

hi exoro, ex vetustissimo illo mortalium more, quo Regio auspicio, geri omnia feliciter & auspicato prisci voluerunt. Neque exolevit nostris temporibus consuetudo, sacrarum literarum studia monumentis consecrare, & redacta in libros Regibus offerre, ut cum DEO & REGE omnia cedant feliciter. Et REGIÆ MAJESTATIS TVÆ Sapiencia, tam celebrata quidem apud omnes est, ut si AVGVSTI NOMINIS TVI MAJESTATEM præscribi libro patiaris, tanquam summo iudicio munitum opus, seculum non reformidet, sapientis iudicii fiducia, licet Majestatis fulgor & imperium abfuerit. Patietur autem MAJESTAS TVA offerri sibi operis institutum, quod de universæ cognitionis humanæ fundamentis,

DEDICATIO.

quantum nunc licuit, breviter tradere conatur. Quæ rerum principia tantæ quidem existimantur esse dignitatis, ut haud perperam dici possit, scientiarum & salutis nostræ rationem, hujus & futuri seculi, hisce inniti. Quicquid enim in rebus humanis certum, quicquid Testimonio S. Spiritus intra nos, de animæ nostræ salute recte intelligi potest, ductis veluti hinc principis noscitur. Quod MAJESTATIS TVÆ sapientia, usu rerum & regnandi intelligentia, tam sibi perspectum ostendit, ut Imperantes prudentiam, Philosophi doctrinas, & vitæ magistri, ad salutem gentis humanæ, regulam inde accipiant. Quid enim nisi sapientis & moderati imperii argumentum est, effrænata hominum licenti-
am

DEDICATIO.

am prohibere, doctrinis salutaribus libertatem concedere, scientiarum florem & bonæ mentis cultum introducere, pulsus per vim patriæ per fugium præstare, & quod vulgarem imperandi modum longe excedit, homines Religione a se disjunctos, interdum etiam morose obnitentes, præsidio tueri, publicis stipendiis, citra doctrinæ suæ noxam alere, & erecto Musarum domicilio FRIDERICIANO, muneribus publicis solos ornare. Hoc vero non humanæ modo, sed divinæ sapientiæ profectum ostentat. Atque illud est, quod animum fiducia confirmat, ut a MAJESTATE TVA, qua par est, animi submissione contendere possim, ne dedignetur pro sapientia sua, sacrum hoc ingenii ad recta conantis specimen,

DEDICATIO.

men MAJESTATIS SVÆ gratia
atque clementia REGIA complecti.
Inprimis cum animo, DEO & RE-
GI suo subjecto, nihil unquam ma-
gis cordi sit, quam ut primo hoc,
qui nunc prodit, studiorum sacro-
rum conatu, obsequium meum
& religiosa mentis veneratio, RE-
GIÆ MAJESTATI TVÆ appro-
betur. DEVS immortalis post felix
imperium, post diuturnam salutem,
post rerum hujus ævi affluentiam
& ubertatem, post denique se-
renissimam pectoris tranquillita-
tem, & post adeptum Divini Spiri-
tus Testimonium internum, hanc
quoque REGIÆ MAJESTATI
TVÆ adjungat felicitatis sum-
mam, ut perpetuas populorum ac-
cla-

DEDICATIO.

clamationes & benedictiones, moderati & sapientis imperii testes, in cœlum olim secum; sed sero, ferre possit.

REGIÆ MAJESTATIS TVÆ

*devotissimus atque humillimus servus
& subiectus,*

IMMANVEL PROELEVVS.

LECTORI ERUDITO ET PIO

Salutem & gratiam cœlestem.



*D*emonstranti mihi certitudinem Sensuum Rationis & Fidei, atque Status Naturalis principia, in primis vero Testimonii Spiritus S. interni & Religionis salutaris naturam explicanti, non ea mens neque consilium fuit, ut universam pro dignitate operis materiam plane elaboratam perfectamque darem, quæ summi ingenii, sanctissima mentis & divinitatis prope res, longe supra facultates nostras consistit; sed ut primis tantum lineis descriptum opus, in se reconditum & sublime, & a nemine, quantum scio, pertractatum, uti quidem optandum erat, dilucidiore quadam explicatione, eaque brevi admodum, quantum fieri posset, illustrarem. Per multa enim occupatum in hoc argumento scitu quidem magnopere necessario a pleniori tractatione retrahere potuerunt.

In

PRÆFATIO

In hac tamen rei summa sic versari nunc animus est, ut constituto capitum sese excipientium numero, quodlibet horum metodo, quæ in Mathematicorum scholis celebratur, haud valde absimili, in compendio pertractetur, ne primas speciminis lineas excessisse videar. Universam operis tractationem duabus partibus complexus sum. Quarum prior potissimum pertractat, quæ Nature sunt & quæ ductu luminis rationis innotescunt: posterior ea explicat, quæ Naturam superant, & gratioso illuminationis cœlestis beneficio ex verbo Dei intelliguntur. Dedit, ubi opus erat, de qualibet re, quam explicandam suscepi, definitiones luculentas, adjeci interdum Axiomata, explicationes principiorum ad institutum pertinentium, atque rationum firmamentis propositas sententias communire non intermisi. Quibus cognitæ atque perspectæ existimavi, prima hæc Philosophiæ & Theologiæ intimioris rudimenta, ad meliorem rei, aliquantisper cognita intelligentiam aliquibus profutura, si nostra hæc cognoscere, & meditationum suarum studia paulisper a præjudicatis opinionibus

AD LECTOREM.

nionibus abducere non defuerint. Illud libenter profiteor, quantumvis mihi communem aberrandi sortem egredi omnino licuisset, nibilo interim minus futurum, ut haec nostra non aequè omnibus sint placitura, quod sperare velle certe arrogans foret. Nec fortassis ab omnibus ad mentem nostram, licet perspicue satis explicatam, omnia intelligentur. Nihil enim in vita tam est catholicum, quam circa minus trita præcipiti iudicio errare. Haud raro quoque accidit homini, ex ipsis principiis doctrinas deducenti, quod plurimis insolens & obscurus videatur. Quod minime ingratum aut molestum animo, quo haec scribuntur, esse debet, utpote qui nec intelligentiam mentibus, neque animi rectitudinem cuiquam prestare possum. Est enim hoc solius Dei munus. Singuli autem communi humanitatis jure rogantur, ut, si quid minus rectum in hac tractatione positum putent, me in melius sed rationum præstantiorum pondere & commotionibus erudire haud graventur, quorum humanitatem & doctrinam ea animi observantia excipiam & sequar, qua moderatio-

ne

PRÆFATIO

*ne ferre consuevi dissentientium iudicia, & qua promptitudine clariora desiderantibus dilucidatione mea adesse debeo. Nemini forte, nisi melioris doctrina impatienti seculo, si quod mortalibus incumbit molestus. Nulla assertionum propositarum fundamenta agnoscere nobis licet aut justum est, præterquam ea, qua ex liquido Naturæ lumine, & ex sanctissimis Scripturarum oraculis depromuntur. Tametsi enim a testimoniis clarorum hominum, & eorum quidem, qui sanctum Theologia decus a Lutbero acceptum tuentur, minime abhorre-
re convenit, quorum vera doctrina, maxime si integritas & candor ipsas comitetur, tanto apud me in pretio sunt, ut majori esse non possint: malui tamen in presentis argumenti tractatione fontium h. e. Rationis & Scripture S. rationem præcipuam habere, ex quibus priscos Doctores & sua se desumpsisse constat, & ad quas origines sine erroris metu ab intelligentioribus omnia reducuntur, reliquorum argumentorum, qua ex auctoritate celebriorum hominum petuntur, parce, & ad amovendam tantum
novi-*

AD LECTOREM.

probilitatis suspicionem a me advocato praefidio. Aeternum vero & immortale Numen adoro, quod mortalium mentes rationis lumine illustrare, & corda sanctissimi Spiritus sui Gratiaeque caelestis Testimonio interno confirmare jussit, dignetur singulis eandem & lucem concedere, ut ejus radiis quisque illustratus, se non tantum perituri temporis cultorem, verum etiam aeternitatis candidatum, imo caelestium heredem institutum, ex Testimonio suo sacrosancto intelligat.



IN-

INDEX

CAPITVM GENERALIS.

PARS I. GENERALIS,

Ea potissimum complectens, quæ
NATURÆ sunt, & ex PHILOSOPHIA
cognoscuntur.

CAPUT I.

De cognoscendo semetipso : de hominis facultatibus, facultatumque humanarum objectis.

II. Quomodo animus reddatur certus de Veritate, & quotuplicia sint testimonia sive Criteria ad cognoscendum verum.

III. Quod superiorum doctrinarum accuratior judicatio, fundamentum sit omnis eruditionis & sapientiæ.

IV. De Testimonio *Sensuum*, ejusque veritate & certitudine.

V. De Testimonio *Rationis & Idearum*, earumque veritate & certitudine.

VI. De Conscientia Hominis Naturali ejusque testimonio.

VII. De Natura ejusque Statu, & inde orto *Imperio Civili*.

VIII. De Libertate in Statu Naturæ.

IX. De hypocrisi in Statu Naturæ.

PARS

PARS II. SPECIALIS,
 Ea imprimis pertractans, quæ GRATIÆ sunt & ex THEOLOGIA
 cognoscuntur.

CAPUT I.

De Gratia ejusque Statu, & orta inde *Religione*: cujus indoles & differentia ab imperio Civili explicatur.

II. De Testimonio cordis per Spiritum S. interno; quod detur; & quid sit Testimonium Spiritus.

III. Quod Testimonium Spiritus S. perceptione propria sentiatur, nec ad alios, qui hujus non sunt participes, extendatur.

IV. Quod Testimonium Spiritus S. internum certitudine superet omnes reliquas veritates.

V. Quod ad affirmandum aliquid de Testimonio Spiritus S. interno, nemo cogi possit; ratione autem, suasionibus & exemplo doceri, ut de ejus veritate persuasus sit.

VI. Quid Testimonium Spiritus S. præcipue doceat; & ad quem finem nobis detur.

VII. Quod Testimonium Spiritus S. internum non sit extendendum *ad Ideas*, & res facultati rationali atque *Sensibus* subjectas, licet *hæc* suo modo perficiantur ab *illo*.

VIII. Quibus subsidiis acquiratur Spiritus S. Testimonium internum.

IX. Quomodo cognoscatur, se & alios Spiritus S. Testimonio illustratos esse.

X. De officio docentis alios, eosque manudentis ad internum Spiritus S. Testimonium.

XI. De officio eorum, qui ad percipiendum Spiritus S. Testimonium internum manuduci cupiunt.

XII. De libertate in Statu Gratia.

XIII. De hypocrisi in Statu supernaturali.

XIV. De usu harum doctrinarum brevis commonefactio, quæ totius operis summam & Methodum exhibet.

IM-



IMMANUELIS PROELEI

Demonstrationis

De Certitudine Sensuum, Rationis,
& Fidei,

Pars I. Generalis.

Ea potissimum complectens, quæ *Nature*
sunt & ex *PHILOSOPHIA*
cognoscuntur.

CAPUT I.

De cognoscendo semet-ipso: de Ho-
minis animi Facultatibus: Faculta-
tumque humanarum objectis.

SUMMARIA.

Divisio hujus capitis, ejusq;
tractandi modus. §. 1.

(I) De cognoscendo semetipso.

Quid sit cognitio nostri. §. 2.

Ratio, cur Scriptura S. cogni-
tionem Numinis in primis com-
mendet. §. 3.

Cognitio nostri sine cog-
nitione Dei imperfecta est. Quo
sensu fit fundamentum sapien-
tiz. §. 4.

Cognitio nostri est primum
initium ad sapientiam, non
summa-sapientia. §. 5.

A

Cogni-

Cognitio nostri vitia ostendit, iis moderari nescit. §. 6.

Probatur, cognitionem nostri maxime necessariam esse.

§. 7.

Quid cognitio sui doceat. §. 8.

(II) De Hominis animi facultatibus.

Homo constat duabus partibus essentialibus. §. 9.

Quod mens per corpus varie percipiat; & quid sit facultas. §. 10.

Fundamenta variarum perceptionum. §. 11.

Triplex animo inest percipiendi facultas, *sensualis, rationalis, & spiritualis*. §. 12.

Facultas percipiendi sen-

sualis differt à rationali & spirituali. §. 13.

Probatur, percipiendi facultatem rationalem differre à spirituali, sive à sensu cordis. §. 14.

(III) De facultatum animi objectis, sive circa quas res qualibet facultas versetur.

Facultatem sensualem ad objecta tantum materialia se extendere probatur. §. 15.


Facultatem rationalem ad abstractiones & ideas tantum se extendere confirmatur. §. 16.

Facultatem animi spiritualem circa Deum & res supernaturales occupari ostenditur. §. 17.

Facultatum animi confusio noxia est. §. 18.

§. I.

Divisio
hujus
Capituli,
ejusque
tractandi
modus.



Ria sunt, quæ hoc capite distincte & singularim a nobis tractari debent. Quorum *primum* de cognitione sui; *secundum* de Hominis Facultatibus; *tertium* de animi facultatum objectis & cir-

circa quæ eadem versantur, agit. Quodlibet horum, ubi opus erit, per definitiones, axiomata, necessarias principiorum explicationes & adjectas rationes, quibus sententiæ propositæ innituntur, speciatim deducemus. Quas methodi leges in sequentibus fere ubique & strictim observabimus.

I) De cognoscendo semet-ipso.

§. II. Quod ad primum attinet, ^{Quid sit cognitio nostri.} pri-
sci Philosophi interque eos Socrates, Plato, Stoici & Pythagorici, cognitionem sui magnificis extulerunt elogiis, quam principium suæ Philosophiæ & summam sapientiam crediderunt. Plato (a) illud γνῶθι σεαυτὸν, nosce te ipsum templo divi inscriptum, & ab Apollinis oraculo profectum repetit.

Est autem cognitio sui notitia, qua Homo perspectum habet, quibus animi & corporis facultatibus præditus sit, quid in singulis bonum & perfectum,

A 2

quid

(a) in Alcibiade primo.

quid contra defectibus laboret, & emendandum restet.

*Ratio, cur
Scriptura
S. cogni-
tionem
Numinis
in primis
commen-
det.*

§. III. Natura autem notum est, *neminem in aliqua re, perfectiones aut defectus observare, aut de illis pronunciare posse, nisi regulam aut exemplar inspexerit, quod perfectiones contineat, cum quo cætera, quæ afferuntur; comparare possit; inde dubitatum est, an non cognitionem DEI cognitioni nostræ præponere præstet? Observamus in sacris literis (a) non tam frequenter notitiam nostri, quam cognitionem & timorem Numinis commendari. *Principium sapientie, inquit Salomon, (b) est reverentia Jehovæ, & agnitio sanctorum prudentia.* Quemadmodum enim rudis & plebejus aliquis inter sui similes aut hebetiores facile nomen sapientis sibi vindicat: ita Homo sine perfectissimi Numinis notitia, stulta sui, doctrinæ aut virtutis suæ admiratione insolescit, atque vitia sua cæcitatæ caligine oblecta ignorat.*

§. IV.

(a) Ps. CXI, 10. Prov. I, 7. Joh. XVII, 1. (b) Prov. IX, 10.

§. IV. Concedendum est igitur, *Cognitio nostri sine cognitione Dei imperfecta est.* cognitionem nostram, remota DEI cognitione, aut imperfectam aut falsam esse. Contra quanto major Nummi *Quo sensu sit fundamentum sapientia.* nis cognitio homini illucescit, tanto liquidior sui notitiam indipiscitur. Uti oculus quanto majoribus lucis radiis illustratur, tanto acutius res & objecta circum se posita agnoscit, remoto autem lumine nihil plane horum, ne corpus quidem proprium, videre licet. Sunt interim, naturæ quædam inclinationes nobis congenitæ, quæ nos ad cognoscendum bonum & verum trahunt, quibus si obsecuti fuerimus, cognoscemus ex primis hisce igniculis aliquantisper, quo in statum & animi nostri facultates versentur, & quid in iis emendandum sit. Quod tanto erit facilius, si exempla & cohortationes hominum doctrinæ & probitatis laude clarorum accesserint, qui ad meliora propendentem erudiant. Atque hoc sensu admitti potest Philosophorum sententia,

A 3

quod

quod cognitio sui sit fundamentum
omnis sapientiæ, quæ cognitione
S. Numinis magis excolitur & perfi-
citur. Quo respexisse videntur fan-
cti viri in S. literis, (a) cum *reveren-*
tiam & cognitionem DEI principium
& complementum sapientiæ appella-
runt.

*Cognitio
nostri est
primum
initium
ad sapi-
entiam,
non sum-
ma sapi-
entia.*

§. V. Nam quod nonnulli Philo-
sophorum cognitionem nostri pro
capite, summa & complemento sa-
pientiæ venditarunt, in eo errorem
admiserunt. Nostri cognitio, uti
§. 2. definitio ostendit, est tantum
sapientiæ primum initium, non sum-
ma sapientia. Hæc enim tantum nos
docet, quibus defectibus & vitiis no-
stræ facultates animi laborent, & qui-
bus infirmitatibus vires mentis ob-
noxia sint. Id quod eo fine sciendum
est, ut cognito vitio & defectu, emen-
datio suscipiatur. Atqui non ideo
statim miles ex vulnere convaluit,
quia cognoscit stillare se sanguine &
leta-

(a) Pl. CXI, 10. Prov. I, 7. Sirac. I, 16.

letale ipsi vulnus inflictum esse; verum ad hoc tantum ipsi prodest cognitio inflicti vulneris, ut malum obligari curet, & de medico circumspiciat, quem alias inquirere neglexisset. Ergo qui se cognoscere, animumque suum perspectum habere incipit, is demisso errore, quem forte de sua præstantia conceperat, in initiis & via, quæ ad veram sapientiam ducit, consistit, ipsam sapientiæ summam, aut sanitatem animi nondum consecutus est.

§. VI. Atque in hoc defecit Philosophia naturalis Ethnicorum, quæ quidem cognovit & ostendit animi nostri corporisque errata, lapsus, foeditatem, peccata; liberatorem autem nec cognovit, nec ostendere potuit. Unde tam parce apud Philosophos traditur ratio & modus medendi animi vitiis, & quomodo ex sua Philosophia sanari a stultitia, & mentis integritatem recipere possimus. Univer-

animi opus, non naturæ, non Philosophiæ, sed Gratiæ cœlestis, sed Theologiæ est. Philosophia defectus aliquantisper ostendit, quibus Theologia medetur. Natura se imperfectam agnoscit; Gratia imperfectioni medicina salutari succurrit, eamque integritati restituit. Quomodo autem hoc contingat, illud extra institutum præsens est, & alio loco a nobis ostendetur. *Vid. infra pars II. specialis.*

*Cognitio-
nem no-
stri ma-
xime ne-
cessari-
am esse
probat.*

§. VII. Uti cognitio nostri sum-
mæ sapientiæ nomen non meretur:
ita primum sapientiæ fundamentum
recte dicitur. Ratio hujus in prom-
ptu est. Nam is, qui bona sua igno-
rat, ad usum ea transferre non potest;
& qui vitia sibi inhærentia non agno-
scit, is emendare ea non valet. Mul-
to adhuc minus de animi sui faculta-
tibus curam suscipiet, qui, quid sint fa-
cultates suæ, quales sint, quotuplices,
aut an vere habeat animi vires aut po-
tentias, ignorat. **Qui hortum, aut**
arva

arva se possidere nescit, de cultu ejus minime omnium erit sollicitus. Si vero se habere possessiones intellexerit, non autem sciverit, quæ pars prædii culturam flagitet, aut qua ratione eadem instituenda sit, & quomodo ad usum redditus annui transferendi sint, is majori cum damno, & ignominia malus rerum possessor jure existimabitur.

§. IX. Docet autem cognitio nostra ^{Quid cognitio sui doceat?} (I) Quod homini insint Corporis & animi facultates aut vires: (II) Quotuplices sint animi & corporis vires & facultates atque quodnam singularum sit munus & officium, circa quas res quælibet harum versetur & quomodo a reliquis distinguatur: (III) Quinam defectus & vitia iis adherent, & quæ contra perfectiones ipsis insint: (IV) Quod vitiorum & defectuum diligens suscipienda sit emendatio; perfectionibus autem recte & prudenter utendum sit, ut felicem & beatam vitam agere possimus. Nos

in sequentibus nonnulla in hac re scitu cuique summe necessaria, inprimis circa primum & secundum numerum, monebimus, aliqua etiam circa posteriora membra proponemus, amplior autem tractatio commodiori tempori servata, quoniam quilibet numerus, peculiarem & uberrimam explicationem ad usum communem meretur.

(II) *De Hominis animi facultatibus.*

Homo, constat duabus partibus essentialibus.

§. IX. Hominem duabus, uti loquuntur, partibus essentialibus *Corporis* nimirum & *Anima* constare, translaticium est, & veritas satis nota. *Corpus* quinque sensuum externorum ministerio præditum esse cognoscimus. Quibus Medicus (a) recentior tres adhuc sensus adungere non dubitavit, *famen, sitim & tactum venerem,* arbitratus, aut unicum tantum

(a) *Bontekæ* in *Oeconomia animali* pag. 41. Et *Tractatu Ethico-Phyfico de Animi & Corporis passionibus, earumque certissimis remediis.* Part. I. §. 4.

tum sensum externum nobis adesse, nimirum tactum, aut octo. Quoniam tanta inter sitim, famem & voluptatem veneream deprehenditur differentia, quanta inter quinque reliquos sensus, tactum, gustum, olfactum, auditum, visum distantia est. *Anima* cogitatione, ratiocinatione, perceptione, reliquisque virtutibus instructa & *Corpus* informare, & suis a Corpore distinctis operationibus vacare communi sententia traditur.

§. X. Enim vero, quoniam *Corpus* anima destitutum nullius capax Quod mens per corpus varie percipias, & quid sit facultas. est sensus, consequens est, ut existimemus, animam ministerio corporis sentire aut percipere modificationes istas, quæ corpori a rebus externis accidunt. Est enim corpus constructa summo artificio machina quædam, quæ dum agitur & varie afficitur a rebus aliis, mens vigilis instar solertissimi, illico excitatur ad cognoscendum aut percipiendum, quid re-

rerum in suo domicilio agatur. Ergo statuendum est, hominem ejusque mentem instructam esse *facultate* quadam percipiendi ea, quæ sibi aliunde per corpus, aut in semet- ipso per cogitationes, accidunt. Ne obscuritate involvamus, definiemus, quid sit facultas: *Facultas animi est vis, potentia, aut dispositio a DEO menti indita, ut ejus ope varias res & objecta sibi destinata, & proportione respondentia percipiat, contempletur, admittat, inter se distinguat, atque de iis judicium formet.* Brevius sic: *Facultas animi est mentis virtus aut perfectio, res varie vel mediante corpore, vel immediate per se ipsam percipiendi.* Res aliquantis per difficilis exemplo eget, quo illustretur, quod a notissimis desumemus. Dico mentem meam habere *facultatem* apprehendendi per manum, *facultatem* videndi per oculum. Facultas illa apprehendendi in animo per manum, facultas videndi in mente per oculum, est vis & po-

potentia a DEO menti indita, ut per manum & oculum, res & objecta sibi destinata & proportione respondentia percipiat, contempletur, admittat, atque de iis judicet. Igitur manu mea tango res & objecta mentis facultati, quæ per tactum se exerit, proportionata, non enim mente per manum lucem videre possum. Et mente, per oculum, non eodem modo tango, atque manu, quia alia objecta oculo sunt destinata, quam manui. Utrunque autem organi dispositionem a DEO, manui & oculo inditam agnosco, atque menti connatam vim & potentiam percipiendi sentio, per manum & oculum objecta diversa percipiendi. Hac facultate, dispositione, vi, aut potentia, si mens esset destituta, nihil perciperem.

§. XI. Explicato, quid sit facultas ^{Funda-} animi, præcipua est quæstio, ^{menta} quotupli- ^{variæ} ces mens aut animus habeat facultates ^{perce-} percipiendi. Cognoscamus nos ^{ptionum.} ipsos, secundum hujus capituli numerum

rum (1) in primis §. 2. & 8, id est, examinemus aliquantisper, quibus modis & quam varie rei alicujus notitia nobis adveniat, & responsio haud erit difficilis. *Primo* enim ferit objectum aliquod meos quinque sensus corporis, (*conf. §. 9.*) & mens mea percipit adesse objectum huic sensui v. g. oculo solem, manui fulstem, auri sonitum, &c. *Secundo*, remotis objectis v. g. sole remoto aut fuste, formo mihi in cerebro conceptum aut Ideam de hisce objectis absentibus. *Tertio* in mente aut corde sentio aut percipio aliquas res, quas nec sensibus externis unquam attigi, (ridiculum enim foret tranquillitatem animi, cogitationes, aut DEUM, sensibus externis, uti oculo, manu &c. tangere:) nec ratione, aut Ideis effingere earum formas valeo. Quomodo enim ens perfectissimum, aut independens, animi tristitiam ipsam &c. plene concipiam, aut sub qua idea & specie, nisi fuerint intuitive

tuitive cognita, efformabo? Ex qua consideratione concludo, mentem meam facultate percipiendi varia, & a se invicem distincta esse præditam, atque hanc percipiendi facultatem in *triplici* potissimum differentia conspicuam esse. Percipio enim (1) animo objectum externum per *sensus*; vel (2) remoto objecto externo, idem objectum *ratione per Ideam* contemplor; vel denique, (3) ubi nullum sensus feriens objectum externum præcessit, quædam sentio, uti sunt lætitia aut tristitia mentis, DEUS & operationes divinæ in anima, per *mentem ipsam* ejusque conscientiam immediatam.

§. XII. Ergo Hominis animus tres *Triplex* habet in se percipiendi modos sive fa- *animo* cultates. *PRIMA* est *perceptio sen-* *ineft per-* *cipiendi* *facultas,* *sensualis,* cum animus per corporis sen- *sensualis,* sus, quos §. 9. attigimus, res extra se *rationalis,* *& spi-* *ritualis.* positas materiales, uti sunt solem, ar- *ritualis.* borem &c. cognoscit. *SECUNDA* est *perceptio Idealis sive rationalis,* si quis

quis sibi ratiocinandi beneficio conceptum de re quadam a sensibus remota v. g. de equo Trojano, de Paradiso, de Diluvio similibusque efformat. *TERTIA* est *perceptio purè mentalis sive spiritualis*, quando animus, cor aut Spiritus, ab objecto sibi aliquo modo simili, uti est *DEUS* aut alia *Spiritualis* substantia, afficitur.

Facultatem percipiendi sensualem, differre a rationali & spirituali probatur.

§. XIII. De tribus hisce percipiendi facultatibus aut potentiis quæri solet, an hæ ita a se invicem differant & disjungantur, ut una ab altera reverà & secundum rem diversa sit. Quemadmodum, exempli causa, in corpore videndi (non dico percipiendi) potentia reverà, ad minimū modaliter, differt & distinguitur à facultate auditus. Existimamus, quæsitum negari vix posse. Præmittimus confirmationis loco *axioma* natura notum firmumque, *quod, que actu separata interdum deprehenduntur, illa revera distinguantur.* Nemo enim dubitaverit, aurum & gemmam distingui a se

se invicem, quoniam interdum separatim reapse conspicitur aurum & gemma, ut in annulo arctissime copuletur. Jam de perceptione sensuali nemo fere dubitat, quod distinctissima hæc sit a perceptione, quæ fit per *rationem*, aut *immediatum Cordis sensum*. Nam in vita persæpe contingit, ut ratione & Conscientiæ sensu præditus, destituatur videndi aut audiendi facultate per sensuum organum: & anima, relictis corporis exuviis, nihilominus rationem (secundum sententiam receptam, quod rationalitas sit forma animæ) & perceptionem spirituales retinere videtur; licet per organa sensuum, quæ in corpore erant, non amplius aliquid percipiat.

§. XIV. Paulo difficilior est ratio differentiæ inter perceptionem *rationalem* & *spiritualem* sive sensum cordis. Sed & hæc affirmanda est. Valenim hic primo nostrum axioma paulo ante (a) allatum: quod, quæ

Facultatem rationalem differre a spirituali, sive a sensu cordis, actu probatur.

B

(a) §. 13.

actu separata deprehenduntur, revera distinguantur à se invicem. Quoniam Ratio & Ideæ in simplicioribus & fatuis interdum desiderantur, quibus tamen non æque sensus cordis, aut perceptio spiritualis operationum, quæ à DEO intra præcordia eorum peraguntur, adimi possunt. Sequeretur enim omnes amentes & fatuos esse in numero damnatorum. *Secundo* recte nostrates Theologi contra nonnullos, imprimis Socinianos, urgent, rationem in mysteriis fidei non esse audiendam, captivandam potius & supprimendam, qui tamen summo opere inculcant, advocandum & sequendum esse testimonium Spiritus S. internum ejusque obsignationem, id est, perceptionem spiritualem in corde fideli per Scripturam. Ex quo intelligitur, perceptionem rationalem à spirituali haud raro sejungi, quoniam perceptio spiritualis identidem adest, ubi rationalis exesse iussa est. *Tertio* Facultas percipiendi rationa-

tiona-

tionalis longe aliud habet objectum, circa quod occupatur, nimirum conceptus aut Ideas, quam perceptio spiritalis in Corde aut animi penetralibus, cujus objectum DEUS, res divinæ & puræ spirituales sunt, sed hac de re singulatim nunc agemus.

III) *De facultatum animi objectis, sive circa quas res qualibet facultas versetur.*

§. XV. Ostendimus, animum nostrum donatum esse facultate percipiendi *sensuali, rationali, spiritali* Facultatem sensualem, ad objecta tantum materialia se extendere, probatur.

§. 12. & 11. Confirmavimus rationibus, quod una percipiendi potentia & vis aut modus distingui debeat ab altera §. 13. & 14. Ut clarior lux superioribus accedat, definiendum jam est distinctius, quænam præcise res aut objecta ad quamlibet harum facultatum pertineant, quarum confusio aut ignoratio monstra opinionum & doctrinarum dedit Ecclesiæ & Philosophiæ, uti ex sequentibus (a) videre

B 2

lice-

(a) Cap. 3. §. 10. seqq. infra hac Parte.

licebit. De facultate animi *sensuali* nemo, quantum scimus, dubitavit, eam ad *corpora & res materiales* percipiendas tantum ordinatam, atque nobis datam esse. Quis enim tam esset absurdus, ut conceptum mentis meæ, aut cogitationes hominis oculis corporeis videri, aut DELUM & ens pure spirituale manibus palpari & contrectari posse existimet? Et si quis existimaverit, ratione à sententia falsa dimoveri potest sequenti: *Omnis facultas, quæ objectum aliquod percipere vult, necesse habet, ut naturæ similitudinem, aut proportionem habeat cum objecto aut re percipienda.* Quod si enim facultas percipiendi crassior fuerit, objectum vero subtile, tunc evenire necessum est, ut illud objectum nulla ratione sensibili afficere aut contingere facultatem crassam & hebetem possit. Hæc causa est, quod manus nostra sentire, percipere, aut videre lucem non possit, nec pes meus audire sonitum, quia dispositio
orga-

organi & sentiendi facultas in manu & pede crassior est & obtusa, contra objectum, lumen & sonus est subtilius quid, quod facultatem & dispositionem pedis aut manus subtili motu suo prætervadit, eam non movet, nec ulla ei imprimit vestigia, adeoque nec sentitur. Jam facultates nostræ sensuales in corpore, quæ §. 9. adducuntur, sunt crassæ, visibiles, palpabiles, materiales & corporeæ, quapropter a nullo objecto, quam crasso, materiali & corporeo moveri aut affici poterunt, ut aliquid de eo percipiant. Ideæ autem cogitationum, Angelus, Deus aut spiritus, non sunt crassa corpora. Ergo nec ab hisce objectis percipiendi facultas nostra sensibilis affici potest. Aut igitur hæc objecta ab animo nostro plane non percipi possunt, aut per aliam facultatem subtiliorem, rationalem scilicet vel spiritualem cognosci debent, quemadmodum lumen non a facultate crassiori, manu aut pede, sed

alia subtiliori, oculo videlicet, cognoscitur & sentitur.

Facultatem
rationalem
ad abstractiones &
Ideas se
tantum
extendere,
re, probatur.

§. XVI. Facultas animi *rationalis*, quæ, efformatis ideis aut conceptibus, res contemplatur, pro objecto sibi destinato agnoscit *abstractiones & imagines* a rebus sive corporeis sive spiritualibus formatas. Hujusque officium est effingere, connectere & ordinare res, quæ a sensibus recesserunt. Itaque hujus beneficio licet exercitium, aut ordinem civium animo disponere atque providere, quid cujusque sit officium, ut acies aut civitas non turbato ordine instruat. Sed facultas hæc rationis objectorum antea visorum, requirit diligentem observationem & notitiam. Nisi enim res, de quibus ratio format conceptus, antea visæ fuerint aut perceptæ, eadem vix quicquam, præter chimæras, animo exhibebit & concipiet. Quales *Plato & Thomas Morus* in Utopia sua, *Campanella* in civitate solis, alius de gente *Sevarambica*, & *Jacobus*

Sa-

Saderus (a) in novo itinere versus terram australem ingeniose commenti sunt. Facultas hæc non res ipsas, sed de re conceptus sibi aliisque exhibet. Pone'te Chinensium Imperatorem conspexisse, si ejus ideam animo concipis, aliisque illius formam in Germania per imaginem aut enarrationem repræsentas, tum non ipsum Imperatorem, sed abstractum mentis tuæ conceptum, de re antea visa aliis proponis. Idem de aliis rebus, quæ facultas animi rationalis sibi concipit, aut aliis explicat, esto judicium. Namque si animi tui gaudium aut operationes cœlestes, quas a DEO pectori impressas persensisti, alteri enarraveris, conceptus tantum de hac re cum eo, non ipsam rem communicas. Res satis manifesta hoc argumento confirmari potest: *Conceptus & Idea, de objecto aut re quadam, v. g. de Regno Neapolitano,*

B 4

mun-

(a) *Nouveau Voyage de la terre australe, Paris 1695. en 12. quod nunc germanice extat.*

*mundi globo, aut ipso DEO, non produ-
cunt rem ipsam, quam concipimus, aut
absentem nobis presentem sistunt; Et
tamen magis quiddam animo exhibent,
quam nihil, Et cum de hisce rebus non
cogitabamus: Ergo Idea imaginem ali-
quam, conceptum, aut picturam rerum
producere, atque animo offerre possunt.*

Faculta-
tem ani-
mi spiri-
tualem
circa De-
um & res
superna-
turales
occupari,
ostendi-
tur.

§. XVII. *Facultas animi spiritualis,*
quæ in sacris literis interdum cor Ho-
minis, non tamen plane excluso intel-
lectu, appellatur, pro objecto sibi de-
stinato, & re, circa quam versatur, ha-
bet ipsum *Deum, res divinas, cælestes,*
supernaturales, cæteris animi facul-
tatibus incognitas. Per hanc testi-
monium Spiritus Sancti internum ex-
perimur & sentimus, teste summo
Apostolo *I. Cor. II, 10. 13. 16.* de quo *Parte
altera* explicatius differendum nobis
erit. Elegans & luculenter est B. Luth.
(a) commentatio hac de re. Dicit Scri-
pturam

(a) Tom. I. Altenburg. cura Sagittarii 1661. edi-
tor. pag. 739. super magnificat. Addi potest
Tom. II. Altenb. pag. 273. super Epistol. ad
Galat. Cap. V.

pturam S. hominem in tres facultates dispescere, in corpus, animam, spiritum. (a) Corpori res visibiles,
 B 5 ani-

(a) Verba B. Lutheri l. c. hæc sunt. Die Schrift theilet den Menschen in drey Theil / da St. Paulus 1. Thess. ult. sagt / GOtt / der ein GOtt des Friedens ist / der mache euch heilig durch und durch / also / daß euer ganzer Geist / Leib und Seele unsträfflich erhalten werden auff die Zukunfft unsers HErrn Jesu Christi / und ein iegliches dieser dreyer sammt dem ganzen Menschen wird auch getheilet auf eine andere Weise in zwey Stück / die da heissen Geist und Fleisch / welche Theilung nicht der Natur / sondern der Eigenschaft ist / das ist / die Natur hat drey Stück / Geist / Seel / Leib / und mögen allesammt gut oder böß seyn / das heißt dann Geist und Fleisch seyn / davon lehrt nicht zu reden ist. Das erste Stück / der Geist / ist das tieffste / höchste / edelste Theil des Menschen / damit er geschickt ist unbegreiflich unsichtige ewige Ding zu fassen / und ist kürzlich das Hauß / da der Glaube und Gottes Wort innen wohnet / davon David Psalm 15. sagt / HErr mache in meinem Inwendigsten einen richtigen Geist / das ist / einen auffgerichteten starken Glauben. Wiederum von den Ungläubigen Psalm. 77. Ihr Herz war nicht richtig zu GOtt / und ihr Geist war nicht im Glauben zu GOtt. Das ander die Seele ist eben derselbe Geist nach der Natur / aber doch

doch in einem andern Werck/nemlich in dem/ daß er den Leib lebendig macht und durch ihn wircket/ und wird oft in der Schrift für das Leben genommen/denn der Geist mag wol ohne den Leib leben/ aber der Leib lebet nicht ohne den Geist/dis Stück sehen wir/wie es auch im Schlaf u. ohn unterlas lebet und wirckt/und ist seine Art nicht/ die unbegreiflichen Dinge zu fassen/ sondern was die Vernunft kennen und erkennen kan/und ist nemlich die Vernunft Geist hie das Licht in diesem Hause/ und wo der nicht mit dem Glauben als mit einem höhern Licht erleuchtet/ dis Licht der Vernunft regieret/ so mag sie nimmer ohn Irthum seyn/denn sie ist zu gering in Göttlichen Dingen zu handeln. Diesen zweyen Stücken eignet die Schrift viel Dings zu/ als *sapientiam* und *scientiam*, die Weißheit dem Geist die Erkänntniß der Seelen/darnach auch Haß/ Liebe/ Lust/ Greuel und desgleichen. Das dritte ist der Leib/mit seinen Gliedern/welches Werck seyn nur Übung und Brauch/nach dem die Seel erkennet / und der Geist gläubt/ und daß wir des ein Gleichnuß anzeigen aus der Schrift/ Moses macht ein Tabernakel mit dreyn unterschiedlichen Gebäuen / das erste hieß *Sanctum Sanctorum*, da wohnet Gott innen / und war kein Licht drinnen; das ander *Sanctum*, darinn stand ein Leuchter mit sieben Röhren und Lampen; das dritt hieß *atrium* der Hoff/das war unter dem Himmel öffentlich für der Sonnen Licht. In derselben Figur ist ein Christen-Mensch abgemahlet/ sein Geist ist *Sanctum Sanctorum*, Gottes Wohnung/ im finstern Glau-

animæ scientiam, spiritui sapientiam concedit. Quam explicationem B. Dannhauerus (a) dignam putavit, ut tres in homine partes essentielles statuentibus legendus proponeretur. Add. Dnn. Fratrum Widenburgiorum disput. inaugural. de tribus (b) par-

Glauben ohne Licht/ denn er gläubt das er nicht siehet/ noch fühlet/ noch begreiffet. Seine Seele ist *Sanctum*, da sind sieben Licht/ das ist allerley Verstand/ Unterscheid/ Wissen und Erkenntniß der leiblichen sichtlichẽ Dingen. Sein Cörper ist *terrenum* der ist iederman offenbar/ daß man sehen kan/ was er thut/ und wie er lebt. Nu bittet Paulus/ Gott der ein Gott des Frels dens ist/ wolte uns heilig machen/ nicht in einem Stück allein / sondern ganz und gar/ durch und durch/ daß Geist/ Seel und Leib/ und alles heilig sey. Von Ursachen solches Gebets wäre viel zusagen.

(a) In Hodosophia Christi. Phœn. V. p. 420. 421.

(b) *Domini Widenburgii* sic loquuntur disput. citat. §. 3. Observandum est, non de partibus totius potestativi, sive diversis facultatibus vel naturalibus vel supernaturalibus, sed de partibus substantialibus, naturam & essentiam hominis intrinsece constituentibus sermonem esse; nec quamcunque hic intelligi, sed realem distinctionem. Nam si per spiritum dona spiritualia & facultates supernaturales

partibus hominis anno 1695. §. 3. & 45. Quod autem sola hæc facultas spiritualis Deum ejusque operationes sentire & experiri possit, hunc in modum probatur. *DEUS sese communicat hominum animis, inque iis operatur.* Joh. XIV, 17. 21. 23. Prov. IIX, 31. Apocalyps. III. 20. Cant. V, 1. *Non per sensus* Joh. I, 18. alias Deus esset corporeus vid. §. 15. *non per facultatem rationalem* I. Cor. X, 5. I. Cor. I, 19. 20. I. Cor. II, 14. alias ejus imago, idea & conceptus tantum de Deo percipi posset vid. §. 16. Quæ Socinianorum & Naturalistarum opinio recte & firmiter à Nostratibus confutata est. *Vid. etiam Libri nostri Symbolici*
Epi-

rales intelligantur, hominem reatum, præter corpus & animam, spiritum etiam in se habere cum gentium Doctore Paulo I. Cor. III, 16. affirmamus, & hunc spiritum concedimus ab animâ ejusque facultatibus esse distinctum, eo fere sensu, quo intelligendi facultas a sensitiva anima, & supernaturales facultates a naturalibus distinguuntur. §. 45. Neque loquuntur verba Lutheri de partibus hominis substantialibus, sed de diversis ejusdem animæ facultatibus. &c.

Epitome art. 3. Antb. num. 6. pag. 587.
Et solida declarat. art. 4. num. 6. pag.
 698. Ergo restat, quod Deus ipse ejus-
 que supernaturalis gratia per solam
 hanc spirituales facultatem, quæ in S.
 Scripturis sæpe cordis nomen habet,
 (vid. II. Cor. I, 22. Rom. X, 8. II. Cor.
 IV, 6. Gal. IV, 6. Eph. III, 17.) *sentiatur*
atque percipiatur.

§. XIX. Quanti sit momenti hæc *Facultas*
 doctrina, & quanta in veritatis co-^{tum ani-}
 gnitione utilitas expectari possit ex ^{mi confu-}
 eo, si quis legitime sciverit has animi ^{sio noxia}
 facultates distinguere, eorumque ob-
 jecta ad locos sibi convenientes rite
 ordinare & disponere, de eo in se-
 quentibus quædam trademus, *vid.*
Part. I. Cap. III. §. 10. seqq. Plane au-
 tem noxius error est, & in maximè
 momenti rebus perniciosissima igno-
 ratio, si quis animi facultatibus per-
 verse & promiscue utitur, aut earum
 objecta ad aliam, quam oportebat, &
 quam a Deo & natura ordinatum
 erat, percipiendi facultatem applicat,
 quod

quod ineptius certe & majori cum damno conjunctum est, quam si quis auribus lumen haurire, & naribus sonitum percipere gestiat. Dabimus geminum rei illustrandæ gratia exemplum. Quid homini scitu salutarius, aut cognitu præstantius est *Fide & Religione*? Oportebat igitur, disciplinæ hujus initio, statim perspectum habere, qua animi facultate utrumque esset percipiendum. Quod tamen, perquam multis secus contingit. Jam vero si fidem sensuali, *vid. §. 15.* perceptione tantum tibi familiarem reddere instituis, quid aliud tibi comparabis, quam non *intellectam credulitatem* & plane carbonariam, quam auctoritate aliorum cæca nixus, memoriæ vel potius phantasiæ tantum commendabis, neque hilo inde gratior Deo aut acceptior evades. Si fidem sola facultate animi *rationali, vid. §. 16.* complexus fueris atque noveris, eruditam fidem, sed pure historicam & idealem tibi comparaveris, quam

quam & Dæmones norunt & contremiscunt. Jac. II, 19. Quod si autem facultatem animi *spiritualem*, vid. §. 17. five cor fide cœlesti excolendum & illustrandum intellexeris, & serio in hac re laboraveris, tum & eam tibi *salvificam* experieris, quoniam, purificato ab immunditiis terrestribus corde, (Act. XV, 9.) ejus beneficio vitam *spiritualem*, id est, DEO gratam vives (Hebr. X, 38. Gal. III, 11. Hab. II, 4.) & vitam hanc in carne te Servatori Christo vivere, intra præcordia senties. (Gal. II, 20.) Non dispar *Religionis* est ratio, quam sacrosanctam & rectam habere salutis nostræ interest. Hanc si quis animi facultate sensuali sola (§. 15.) addiscere voluerit, incidet in summam *superstitionem*, qua res divinas sibi ad morem rerum sensibilibus, perperam & falso imaginatur. Ad quam forte illi de Secta Epicurea pertinent quorum mentio fit Act. XVII, 18. 23. 24. 25. Ex quo deinceps consequitur, ut cultum

re-

religiosum non spiritu, sed ventre metiantur Philip. III, 19. Nec multo felicior erit, qui facultate animi rationali sola, (*vid. §. 16.*) religiosum DEI cultum susceperit. Quoniam enim ratio circa ideas & conceptus versatur, (*vid. §. 16.*) parum abest, quin ejusmodi homo in *Naturalismū* quendam, in speculationes perversas, aut *Atheismo* proximas sententias incidat. Is autem, qui novit facultatem animi spirituales, (*vid. §. 17.*) sive cor, Deo & operationibus divinis ac sanctis esse dedicatam, is veram animi tranquillitatem sive pacem, quam mundus, sensus, & rationes nec dare, (*Joh. XIV, 27.*) nec quisquam auferre potest, (*Joh. XVI, 22.*) consequetur, & quid sit in cœlestibus cum Jesu Christo collocari, sentiet. Ephes. II, 6.

CAPUT II.

Quomodo animus reddatur certus de veritate. Et quotuplicia sint testimonia sive criteria ad cognoscendum verum.

SUMMARIÆ.

Divisio hujus capituli. §. 1.	Certitudo <i>sensualis</i> quid sit. §. 8.
(I) Quomodo animus reddatur certus de veritate.	Certitudo <i>rationalis</i> quid sit. §. 9.
Quid sit certitudo, & quid requirat. §. 2.	Certitudo <i>spiritualis</i> quid sit. §. 10.
Quot facultates animi & objecta certitudinem producunt. §. 3.	Omnis certitudo ex perceptione propria & sensu oritur. §. 11.
Axioma, quando certus sum de re. §. 4.	Ad certitudinem <i>animi sanitas</i> maxime necessaria. §. 12.
Requisita ad consequendam certitudinem. §. 5.	Quodnam sit persuasionis probabilis fundamentum. §. 13.
Quod <i>Sceptici</i> certitudinem dubitandi contra hypothesein admiserint. §. 6.	Veritas aliqua recte & certo cognita nunquam desinit esse certa. §. 14.
(II) Quot modis animus certitudinem percipiat.	Axioma, quomodo animus ex una veritate certa judicare possit de alia, nondum cognita. §. 15.
Tergemina datur certitudo rerum. §. 7.	

§. I.

Duo sunt hoc loco breviter a nobis tractanda. *Unum*, quid sit, *quod*

quod animum reddat certum de veritate. *Alterum*, quot modis animus certitudinem percipiat.

I) *Quomodo animus reddatur certus de veritate.*

*Quid sit
Certitudo,
& quid requiratur
ad certitudinem.*

§. II. *Certitudo est firma rei cognitio, quam animus ex principiis immotis, & fundamentis extra dubitationem positis sive clare, distincte & plene cognitis percipit.* Est cognitio firma, unde distinguitur a probabilitate, quæ est cognitio vacillans & aliquantisper dubia. Ut autem firma sit cognitio, requiritur ad eam, ut ex principiis immotis & dubitationi non obnoxiiis, hoc est, clare, distincte, & plene perceptis innitatur. Principia autem talia duo postulant, *unum*, ut facultas, qua veritatem apprehendimus, integra, bene disposita & nobis nota sit, *alterum*, ut objectum, quod apprehendimus, præsens sit, & nos afficiat.

Quot facultates animi, & quot ob-

§. III. *Facultates animi tres nobis insunt, vid. Cap. I. §. 12. seqq.* Est facultas percipiendi *sensualis, rationalis, spiri-*

spiritualis. Objecta harum facultatum ^{jecta cer-} eadem tria sunt, *vid. Cap. I. §. 15. seqq.* ^{titudi-}
 Facultatis *sensualis* objectum sunt ^{nem pro-}
 res crassæ & *materiales*: Facultatis ^{ducentia}
rationalis objecta sunt ideæ & ima- ^{sus.}
 gines vel rerum materialium vel spi-
 ritualium *conceptus*: Facultatis *spiri-*
tualis objectum sunt res *divinæ* & su-
 pernaturales.

§. IV. De modo percipiendi tri- ^{Axioma,}
 bus his facultatibus quæritur, unde ^{quando}
 certus sim, me vere rem & obje- ^{certi de}
 ctum percipere? Supposito, quod fa- ^{re esse}
 cultas, qua quid percipere aut cogno- ^{possimus.}
 scere volo, sit integra & probe ad per-
 ceptionem accommodata, respon-
 detur, certitudinem perceptionis re-
 sultare omnem ex eo, si *res aut obje-*
ctam, facultatem animi, debito modo
per presentiam aut contactum suum
affecerit, quæ facta facultati mentis
 impressio, tanto erit certior & fir-
 mior, quanto objectum facultatem
 percipiendi fortius tetigerit. Inde
 est, quod certior sim de vulnere, si quis

corpus gladio trajecerit, quam si supremam tantum cutem strinxerit. Et sol meridianus certiozem reddit de sua presentia oculum, quem claritate sua in meridie perstringit, quam in diluculi ortu, ubi debiliores ad oculum radii solares deferuntur. Quare regulam constituere licet. *Quando facultas percipiendi, vid. §. 31. rite disposita, ab objecto sibi destinato proxime & immediate afficitur, tunc animus de eo certus redditur.* Gradus autem certitudinis oritur ex *contactu aut afficientia*, ut sic loquar, prout hæc remissa, fortior aut validissima fuerit.

§. V. Dico (1) quod percipiendæ facultas rite debeat esse *disposita*, id est, *sana & ad rem attenta*, alias oculus lusciosus aut cataracta obductus solem non percipiet, nec animus terrestribus impeditus, motus cœlestes experietur. Dico (2) quod objectum Facultatem sibi *destinatam* debeat afficere, *vid. §. 3. hujus Cap. & §. 10. Capitis I. seqq.* alias, aut nulla erit

erit certitudo & perceptio, aut perceptio erit confusa & monstro veluti similis, aliquid ex vero, aliquid ex falso trahens. Quare cogitatione mea immediate non vulnerabo corpus alterius, quia facultati rationali non respondet objectum sensuale. Gladius autem immediate corpus vulnerabit, non cogitationem, quia objectum gladius & facultas recipiendi, scilicet corpus utrobique sunt sensibiles & sibi respondent. Eodem modo, & ob eandem causam, ratio sola cor hominis non feriet aut movebit. Dico (3) quod objectum percipiendi facultatem contingere debeat *proxime & per se*; alias non certitudo sed *fides humana* orietur, quæ in alterius auctoritatem & relationem se reponit. Uti si quis Regem Angliæ mortuum mihi dixerit, quem ego morientem non vidi, oritur inde fides humana aut persuasio.

§. VI. Sceptici de omnibus rebus, *De Septid*
 de vulgo certissimis atque de mate- *cismi ori-*
 C 3 *ria- gine, &*
quod cer-

*titu-
dinem du-
bitan-
di contra
hypothe-
sin admi-
serint,* rialium rerum existentia dubitarunt,
certitudine omni explosa, si modo
omnia vera sunt, quæ ipsis tribuuntur.
De quo videatur doctus Gallus *le Mo-
the de la Vayer* in operibus suis. Vide-
tur eorum error ortus esse ex non ob-
servatis iis, quæ *in primis num. 1. §. 5.*
tradidimus, & quod nec gradus certi-
tudinis nec facultates animi, nec di-
versos percipiendi modos distinguere
sciverint. Quapropter confusione
quadam laborasse videntur, ex rerum
autem confusione incertitudinem
percipiendi, & hinc scepticismum se-
qui necessum erat. Defuit fortassis et-
iam, qui hos dubitantes melius erudi-
re & solida ratione, atque uti decet, in
viam reducere potuit. Nam quod
inviti certitudinem aliquam admit-
tere debuerint, ex ipsorum dubitandi
certitudine constare potest. Nisi
enim certi fuissent, se dubitare & du-
bitando certa & vera sequi, profecto
non tam obstinati sine ratione fuif-
sent ad rejiciendas sententias, quæ
dubitationi obstabant. II)

II) *Quot modis animus certitudinem percipiat.*

§. VII. Ostendimus §. 4. quod *quaelibet percipiendi facultas in animo certissima de objecto reddatur, si ab hoc valde secundum naturæ leges (vid. §. 5.) per præsentiam suam afficiatur, aut impulsu moveatur.* Generale hoc est certitudinis sentiendæ testimonium aut criterium. Quoniam vero, triplicem cognovimus in homine percipiendi facultatem, (vid. §. 3. & Cap. I. §. 12. seqq.) ideoque totidem erunt in applicatione axiomatis nostri generalis, certitudinis criteria. Nimirum certitudo *sensualis, rationalis, spiritualis.* Res in se manifesta non videtur uberiores demonstrationem exposcere, quam propterea solum definitione & deinceps Exemplo uno alterove tantum illustriorem reddemus.

§. VIII. *Certitudo sensualis est, quam mentis facultas sensualis (vid. Cap. I. §. 15.) sana & recte disposita*

Certitudo sensualis quid sit?

C 4

(vid.

(vid. Cap. II. §. 5.) *ex objecti & rei materialis contactu aut impulsu percipit.* Hinc nullam dubitandi rationem invenio, diem adesse, si lux meos feriat oculos sanos, & in lumen recipiendum attentos. De sonitu campanæ certissimus sum, si verberatio aeris sonum ad aures meas deduxerit. De dolore ex tactu certissimus reddor, si quis ferro lateribus meis admoto vulnus inflixerit.

Certitudo rationalis quid sit.

§. IX. *Certitudo rationalis, quæ ex Ideis aut mentis conceptu hauritur, est, quam facultas animi rationalis (vid. Cap. I. §. 16.) ex presenti de rebus conceptu, aut sibi formata idea, mente percipit.* Sic dum montis, aut arboris ideam cogitatione mihi repræsentato, certissimus sum, me istum conceptum de monte aut arbore effingere. Cum de ente independente & perfectissimo colligo, quod non habeat superiorem, certissimus sum, si ad me attendero, me hos conceptus, ideas, aut imagines animo mihi repræsentasse.

tasse. Quoniam verò & de falsis ideis v.g. de aureo monte similibusque certas ideas, sed falsas, efformare mens potest, ostendi hoc loco posset, quid observandum sit, si vera concipere & recte rationari velim. Verum cognitio hæc de falsarum & verarum idearum origine, singularem meretur tractationem, quæ extra præsens institutum est. *Vid. interim Cap. V. §. 2. seqq.*

§. X. *Certitudo spiritualis est, quam* Certitudo
facultas animi spiritualis, (vid. Cap. I. Spiritua-
 §. 17.) *rite disposita* (vid. Cap. II. §. 5. lis, quid
ex objectorum divinarum & spiritua-
lium presentia & appulsu percipit. De
 hac re *Pars II. specialis* explicatius
 aget. Vid. Rom. VIII, 16. I. Joh. V, 6.
 Ergo qui sentit in corde puro & fideli
 amorem divinum, omnium certissi-
 mus est, se amari à DEO, & se vicissim
 eum amare. Rom. VIII, 38. Cap. V, 5.
 Qui per divinam gratiam, novum & a
 mundanis alienum animum sibi indi-
 tum sentit, is certissimus ex hoc sensu
 C 5 & per-

& perceptione de eo redditur. Gal. VI, 15. 16. 17. II. Tim. I, 12.

Certitudo oritur ex perceptione & sensu proprio.

§. XI. Omnes hæ certitudinum species, ex sensu & propria perceptione objecti præsentis proficiscuntur. Quod autem multi non sentiant objecta sibi præsentissima, aut falso & male percipiant, quod in rebus rationalibus & spiritualibus frequentissime ob rerum sublimitatem accidit, hoc ut plurimum ex facultate animi male disposita & veluti ægra proficitur. Ita qui aures obturat, sonitum altissimosque clamores non percipit. Qui sibi non attendit, ipsas suas ideas mentis non animadvertit. Qui terrestribus immersus est, is de divinis nullum sensum aut perceptionem habere potest, licet isthæ sanatis mentibus lucidissima sint. II. Cor. IV, 3. 4. 5. 6. Cap. III, 13. 14. 15. Matth. XIII, 14. 15.

Ad rei certitudinem animi sanitas maxime necessaria est.

§. XII. Quapropter, qui rerum certitudinem sibi vult acquirere, illi ante omnia, enixo studio danda est opera, ut facultates animæ, quibus ve-

veritatem percipere vult, sanatas, integras, & bene constitutas habeat. Hoc fere unicum, & præcipuum nostrum esse debet studium, sine quo nulla in re proficiemus nullamque unquam nobis certitudinem comparabimus. Scimus autem mentem nostram ejusque facultates mirum in modum corruptas esse atque depravatas, quare faciendum est nobis in cæteris, quod oculorum vitio laborans agit, qui antequam ad lucem & objecta alia contuenda oculos obvertit, sanari se prius curat, ut oculus ferro claritatem diæ & objectarite discernere possit. Non est dubium, animi etiam potentias sanari posse si velimus, & si artis peritum doctorem invenerimus, cui nos curandos tradamus. Quæ vero medendi ratio, in sananda facultate animi spirituali nobis, a DEO in S. literis monstrata sit, parte altera aliquo modo erit ostendendum.

§. XIII. Hæc dicta sunt de certi-^{Quod-}
 tu-^{nam sit}
 -^{tu-persua-}

*scitis
probabilis
funda-
mentum.*

tudine, quæ ex perceptione propria & objectorum præsentium sensu cognoscitur. Quid autem illi faciendum, ut certus sit de re quadam, qui neque rem percipit, nec objectum, si ve rem, de qua agitur, præsentem experitur? Non enim omnium rerum habemus experientiam, si ve perceptionem propriam, & interim inconsultum fuerit de re, quam ipsimet non experti sumus aut vidimus, dubitare. Quis nostrum Imperatorem Chinesium vidit? Eum tamen negare velle, & quod non imperet populo suo, valde ineptum fuerit. Diximus *ad §. 5. num. 3.* quando nos reponimus in aliorum relationem aut auctoritatem, quod non certitudo firma sed *persuasio probabilis* inde oriatur. Hujus fundamentum est *candor & probitas auctoris* imo etiam *sapientia* dicentis, quod scilicet recte intelligat rem, quam aliquibus documentis cognitam & perspectam habere debemus perceptione si ve dijudicatione propria. Ita per-

perspectum nobis est, & extra dubium positum, Deum neminem fallere aut decipere posse nec velle, voluntatis suæ nuncios autem summa probitate, fide & simplicitate claruisse. Ergo maxime persuasi sumus, sanctissimos homines, qui cum Deo commercium habuerunt, ea quæ perceperunt ipsi, nobis fideliter in S. literis retulisse. Donec Spiritus S. ipse obsignet testimonio suo veritates cœlestes, atque tunc oritur certitudo ex perceptione propria. Quod Parte II. speciali ex professo explicabitur.

§. XIV. Sed aliud adhuc conferenda persuasione firmissimæ datur argumentum. Deus dedit nobis *sensus, rationem, fidem* ad cognoscendum verum. Has facultates ita invicem coordinavit & voluit, ut quælibet harum sit veritatis ex objecto sibi destinato resultantis, capax. Ergo si animus noster per unam facultatem, e. g. *sensualem ex perceptione propria*, veritatem in suo genere certo

Veritas aliqua certo cognita, nunquam desinit esse vera & certa.

CO-

cognoverit ; sequitur , quod huic perceptæ veritati nihil opponi possit ab alio , qui perceptionem suam ex alia animi Facultate se depromere jactat, adeoque illa omnia, quæ in contrarium afferuntur, falsa sunt. E. g. animus facultate *sensuali* recta instructus certissimus est, se odorari vinum & videre panem, cum hæc objecta animo attento sensibus sunt præsentia. Animus facultate *rationali* percipit, quod accidentia non subsistant sine subjecto. Jam alicui rerum spiritualium & sacrarum ignaro velit aliquis persuadere, vinum & panem quem video, non amplius adesse, sed mutatos sive transubstantiatos esse in aliud quid, quemadmodum docent Pontificii, licet sensuum perceptio doceat contrarium : Quæritur, an hoc admittendum sit, eo colore & prætextu, quod Deus possit facere omnia, ergo & panem & vinum apparere oculis, licet jam transmutata sint objecta? Respondetur neganda est

ve-

Veritas hujus dogmatis. Ratio hujus rei est, quia DEUS non sibi foret constans, sed sibi contradiceret, si mihi facultatem percipiendi *sensualem* dedisset, quæ cognosceret verum, & tamen per *fidem* mihi injungeret credendum, sensus non amplius percipere verum. Hæc est ratio, cur in sacris literis nullum occurrat dogma, quod veritati ex sensu aut ratione *evidenter* & *firmiter* percepta contradicat, adeoque iterum elucescit S. literas esse divinas. Itaque omnia hæc, quæ sensus & ratio docet, potius *fide* explicantur & illustrantur, quam destruantur. Et licet superent aliqua rationem, postquam tamen revelata sunt & explicata, non magis contradicunt aut opponuntur rationi aut sensui, quam tubus opticus oculo, quo nudo minime poteram conspiceret objecta remotiora, quæ oculo armato clare contueri possumus. Vid. *Job. Musæus* de usu principiorum rationis & Philosophiæ in
 Con-

Controversiis Theologicis passim. Et Introductione in Theolog. Hinc Theologus quondam Clarissimus *Balthasar Meisnerus*, in Philosph. Sobria Proëm. pag. m. 7. inquit: *Nemo sobrius contra rationem aliquid sentit aut statuit.* Et postquam pag. 8. *Augustinum* adduxisset, dicit, *enitar, ne aliquid contra rationem a me dicatur aut Deus offendatur.* Add. *D. Grauerus* de unica veritate & *D. Baierus* Compendio Theolog. Positiv. Proleg. Cap. I. §. IX. not. (c) p. 24. Plura in hanc rem allegata vide *Part. II. Special. Cap. 1. §. 1.*

Axioma.
Quomodo
ex una
Veritate
seria ju-
dicare li-
ceat, sit
alia non-
dum co-
gnita.

§. XV. Generalis igitur & certissima in judicanda veritate ab alio certo percepta, mihi vero ad credendum proposita, sit regula: *Quae sententia, veritatem mihi quacunque facultate animi, sive sensuali, sive rationali, sive spiritali, perceptione propria certissime cognitam, jubat, explicat, aut illustrat, illa sententia nondum, licet mihi ipsi propria experientia perspecta, ma-*
ximam

ximam veri rationem & probabilitatem habet. Contra qua sententia aut quodcunque dogma, liquidissimam veritatem a me certo perceptam destruit aut oppugnat, illa utut pro verissima venditetur, magnam falsi probabilitatem & suspicionem habet. Demus exemplum. Propositum est non ita pridem problema Theologicum, de amore puro, sive, uti vocant, de sincere fato, quod non nisi fide aut facultate spiritali, (vid. Cap. I. §. 17.) decidi & plene dijudicari potest. Pone hominem philosophum in divinis non ita versatum, hac de re ad pronuntiandam sententiam suam obligari. Quid aget hic? ut ne sine ratione neget aut affirmet quaestionem? Secundum axioma nostrum sequetur principia & veritates sibi perceptione propria certissime cognitae & veras. Lumen & perceptio sensuum dicitur: cruciatus corporis semper esse acerbos. Lumen & perceptio rationis manifeste probat: intolerabilem eum

D

mi-

mihī esse, & naturæ necessitate, odio habendum eum, qui nullo nec suo, nec meo commodo, me torminibus, & sæva tyrannide excruciat. Ergo quia eadem mihī etiam in statu supernaturali natura & perceptio restat, concludet hic, falsum esse, aut maximam falsi suspicionem habere doctrinam istam Mysticorum: Quod Deus amore puro constanter diligī possit, etiam si anima sciverit, se à Deo perpetuis ignibus æternum excruciamdam esse, & quidem nullo alio fine, quam quia justitiæ divinæ ita placuerit. Unde autem hæc sententia traxerit originem, quod notitiam directam cum reflexa, castigatio- nes ad emendationem cum tormentis, plurimæque alia confuderint mystici, hoc equidem Philosophus sibi soli relictus, ut Philosophus non perspiciet, sed aliunde ipsi discendum erit. Contra si idem Philosophus sententiam dicere jubeatur de *abnegatione* nostri, ejusque necessitate, quæ

quæ in sacris *Luc. XIV, 26. 27. Cap. IX, 23. Matth. X, 38. Marc. IX, 34.* nobis commendatur, quid aget, ut cum certitudine aliqua affirmet aut neget quæstionem? Facit quod in superioribus suavisimus, & consultat lumen *sensuum*, quod docet, si Lipsia Lutetiam Parisiorum proficisci voluero, quod prior locus mihi relinquendus, atque *Lipsiæ quasi* renunciandum sit. Lumen *rationis* jubet, ut seruo magnati cuidam fideliter servire volenti, prior comes suus qui servitia impediebat, posthabendus sit. Ergo concludet & *affirmabit abnegationem* sui, ad servitium Dei maxime requiri. Quia abnegatio removet omnia, quæ nobis impedimento sunt, quo minus divina obire atque Deo adhærere possimus. Idem de axiomate nostro proposito in omnibus aliis esto iudicium, eademque applicandi ratio.

CAPUT III.

Quod superiorum doctrinarum acuratio-
rior dijudicatio fundamentum om-
nis sapientiæ & eruditionis sit.

SUMMARI A.

Divisio Capitis hujus. §. 1.	De Theologi, Juri, Medici, Philosophi officio. §. 8.
(I) Quod accurata facultatum animi dijudicatio verum- que eo pertinentium funda- mentum omnis nostræ scientiæ sit.	Quomodo officia distinguuntur, sed non separari debeant. §. 9.
Probatur necessaria horum cognitio. §. 2.	(II) De origine erroris. Malus animi facultatumque habitus est fons errorum. §. 10.
Ex hoc termini naturæ & gratiæ judicantur. §. 3.	Quid error sit, & quotu- plex erroris origo. §. 11.
Quid sit ratio illuminata, & sibi relicta. §. 4.	Mixtura & confusio pe- perit scepticos. §. 12.
Quid dona administrantia, & sanctificantia. §. 5.	Nimia unius facultatis ex- istimatio peperit superstitionem, Naturalismum, Fanaticismum. §. 13.
Quid sint dona naturalia infusa. §. 6.	Nimia unius facultatis de- bilitatio peperit Atheismum, Fatalitatem, Stoicismum. §. 14.
Differentia Religionis & imperii civilis. §. 7.	

§. I.

Divisio
Capitis.



Uo nobis hoc loco attigen-
da sunt. Primo enim osten-
demus ratione & exemplis,
quod accurata facultatum
ani-

animi dijudicatio & quid ad quamlibet animi facultatem pertineat, atque inde resultans certitudo sit fundamentum omnis nostræ scientiæ. *Secundo* fontes variorum errorum, ex ignoratione hujus doctrinæ professorum aperiemus.

D) Quod accurata facultatum animi & rerum eo pertinentium dijudicatio fundamentum sit omnis nostræ sapientiæ.

§. II. Sapientiæ, eruditionis, & scientiæ proprium est, scire, quid ad quamcunq; rem pertineat, quid ei conveniat, quid eam conservet aut destruat, quid ab ea commodi aut incommodi expectari debeat, & quanti momenti sit illam vel negligere, vel cura haud superficiali excolere. Hæc autem omnia in præsentī argumento vel ignorantur, vel perperam & male admodum & noxie tractantur, nisi distincte animi nostri potentias cognoverimus & quid cuique conveniat. Quis unquam Deum existere crederet, si *sen-*

*Probatur
necessa-
ria cogni-
tio eorum
quæ tra-
ditæ sunt
superiori-
bus capi-
tibus.*

sibus externis eum percipiendum existimaret. Nunquam enim per facultatem sensuum, animus de Deo invisibili, & sub sensus non cadente spiritu, certus reddi potuerit. Deus enim sensibus corporis nec videri nec palpari potest. Et quis supernaturales Spiritus S. in cordibus hominum operationes, unquam setiet intra præcordia sua, si *ratione naturali* hæc omnia percipienda esse, sibi falso persuaserit? Hi enim divini motus rationem superant, uti a nobis alio loco docetur, vid. *I. Cor. II, 14*. Hinc, ut opinor *Naturalistarum*, de rebus divinis incertitudo, & *Atheistarum* error, utrorumque autem ignoratio provenit, quod cum doctissimi sint & rationis acumine instructi, nihil tamen unquam aliquid simile, quod in S. literis de illuminatione *II. Cor. IV, 6*. similibusque rebus traditur, in animo suo experti fuerint. Quod si autem quis superiora, *que Cap. I. & II. tradidimus*, probe ac distincte habuerit

rit cognita, perspiciet haud difficulter, quid agendum sibi in quavis parte, aut quomodo in rite excolenda quolibet animi facultate procedendum sit, adeoque erroris periculum, accepta de hac de re distincta intelligentia, evitare poterit.

§. III. De *Natura & Gratia*: rite constituendis limitibus obscura & arceps semper fuit disputatio. Ex hoc Terminè Natura & Gratia judicantur. Hypotesis sine cuius rei cognitione, supernaturalia naturalibus, divina humanis, Rationis vis cum Spiritus S. Gratia, Theologia cum Philosophia, Christus cum Aristotele aut Cartesio commiscetur. Iis autem non adeo difficilis hujus doctrina erit dijudicatio, qui generales *Nature* terminos esse cognoverint facultatem illam percipiendi in homine per *sensus & rationem*, (vid. Cap. I. §. 13. & 14.) cum destinatis sibi objectis, (vid. Cap. I. §. 15. 16.) ex qua origine omnes naturæ actiones proficiscuntur, & hominibus omnibus, qui ratione naturali

præditi sunt, communes deprehenduntur. Ad *Gratiam* vero pertinet *Cor* hominis sive *facultas* illa, quam termino Philosophico ob vocis clarioris defectum nominavimus *Spiritualem*, (vid. §. 14. *Cap. I.* cum suis sibi destinatis objectis. (vid. *Cap. I.* §. 17.) Itaque si homo quisquis ille fuerit, in notitiam Dei venerit, per demonstrationem, quæ facultate *sensuum* aut *rationis* ope percipitur, tunc ejus cognitio terminos naturæ non egredietur, vid. *Rom. I, 19. 20. 21. Cap. II, 14. 15. Act. XVII, 27.* Si eundem Deum idem homo *Corde* aut *facultate* animi *spirituali* cognoverit intra se habitantem, ejusq; operationes, sanctos motus & amorem divinum intra præcordia sua diffundi, vid. *Rom. V, 5. I. Cor. III, 16. II. Cor. VI, 16. Job. IV, 23. 24. Mat. XVI, 17.* tunc ad statum *gratie* sua de Deo cognitio pertinere dicenda est.

Quid sit
ratio il-
luminata
& sibi re-
licta.

§. IV. Ex quo etiam intelligi potest, quid sit *Natura* vel *ratio illuminata*, & *ratio sibi relicta*. Quæ prior, scilicet

licet illuminata proprie dicitur, cum ratio ex perceptione & sensu cordis spirituali, harum operationū in corde suo perceptarum Ideas aut Conceptus animo format. Laxius etiam ratio illuminata interdum dicitur, ubi quis veras de rebus divinis conceptus ab aliis, experientia sua edoctis, per rationem accepit. *Posterior* vero aut ratio sibi relicta est, quæ res sensibus obvias concipit, aut ad harum normam, similes res non visas aut perceptas, conatu proprio effingit & ad divina similitudines suas, uti in concipiendis rebus humanis & visibilibus consueverat, transfert. Quæ res divinas concipiendi ratio, erroribus plerumque intermixta & fallax est. Hinc ratio non illuminata de divinis differens, cæca appellatur. *II. Petr. I, 9. Col. II, 18. Mat. XV, 14.* Quia talis modi homo nihil in corde suo sensu interno & diviniore de rebus divinis expertus est. Uti cæcus ab aliis edoctus, differens de corporibus aut stellis tamen cæcus est,

quia nihil oculis prius usurpavit, licet se cœcioribus secus appareat, qui scilicet discernendi liquido iudicio destituuntur. Hinc quando Naturalista vel Atheus aut similis aliquis ratione naturali de Deo rebusque *divinis* ratiocinatur, hujus ideæ & conceptus de rebus sacris, multo aliter comparati sunt, quam argumenta S. Apostolorum & divinitus illustratorum hominum in Scriptura Sacra, quando nos de rebus cœlestibus & divinis erudiunt.

*Quid dona
administrantia,
& sanctificantia.*

§. V. Ex hoc fonte satis perspicue etiam intelligi potest, quid sint *dona administrantia*, & *sanctificantia*, uti vulgo appellantur. Nimirum *dona administrantia* sunt, ubi facultas *sensitiva & rationalis*, (vid. Cap. I. §. 12. Coll. §. 15. 16.) integra & bene excolta est, ut objecta, quæ hac facultate percipi debent (vid. Cap. I. §. 13. 16.) accurate ipsi sint cognita. *Dona sanctificantia* sunt, quando cor hominis aut facultas spiritualis, (vid. Cap. I. §. 12. Coll. §. 17.) donis cœlestibus, (quæ v. g. sunt lumen

men spirituale *Eph V, 13. 14.* pax & gaudium coeleste. *Rom. XV, 17.* cœteri; fructus spiritus, qui *Gal. V, 22.* recensentur) ita instructa est, ut non modo, intra pectus sentiantur, *Rom. II, 28. 29.* verum etiam per rationem & sensus, atque adeo in actionibus extetnis adversus alios compareant. *Gal. V, 22. II. Pet. I, 5. 6. 7. 8.* Cicero dona illa naturalia, qualia sunt gestus oratorii, rationum ad propositum facientium momenta, movendorum affectuum hypocrites & reliqua huc pertinentia apprime callebat, iisque erat instructus. Multo tamen aliter comparata erant *dona sanctificantia* Apostolorum, & inter hos *D. Pauli*, qui se destitutum donis naturalibus administrantibus profiteretur *I. Cor. I. & II.* nihilo tamen minus effecit ut verba ipsius, tanquam Dei verba sicuti vere erant exciperentur *I. Thess. II, 13.* Petrus vero inter fabulas computans argutas hominum naturalium ratiocinationes: *II. Ep. I, 16.* divina interim vi & sanctissi-

ctissima quadam virtute, aliquando ter mille hominum. *Actor. II, 41.* aliquando quinque millia, ad Deum convertisse legitur *Act. IV, 4.*

*Quid sint
dona na-
turalia
superna-
turaliter
tamen in-
fusa.*

§. VI. Nec difficilius cognitu est, superioribus probe intellectis, quid sint dona naturalia infusa. Nimirum in vita ita comparatum est; uti quisque experiendo potest intelligere, quod nulla res externa ad intellectum deferatur, nisi per facultatem sensuum, & eo usque valere axioma Philosophorum potest, *nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.* Ergo si quis rem aut scientiam aliquam, habet cognitam, quæ ordine naturæ per sensus addisci debet; eam autem solo intellectu, sine prævia cognitione sensuum, veluti inspiratam a Deo recipit; is de dono sibi extraordinaria ratione infuso gloriari potest. In hunc referendum est numerum donum linguarum Apostolis modo supernaturali ipsis concessum. *Actor. II, 8. 11.* Dicuntur autem dona naturalia infusa, ab objecto seu materia, quia verlan-

santur circa scientiam naturali studio alias acquirendam. Supernaturaliter autem dicuntur dona hæc infusa ob principium sive ac causa efficiente, quæ extraordinario modo scientiam aut facultatem aliquam homini largitur.

§. VII. Quomode differat *Religio* Differen-
 & *Regio*, sive imperium civile, & unde tia Reli-
 deducenda sint hujus magnæ divisio- gionis &
 nis fundamenta, scire adeo interest Imperii
 humano generi, ut hoc ignorato, aut Civilis,
 leviter tantum cognito, nec Princeps
 quid suæ subjectum sit potestati, nec
 ministri Ecclesiæ, in quo præcipue
 ipsorum munus versari debeat, intel-
 ligant. Quæ extraditis obscura esse
 vix possunt. Commonstravimus (Cap.
 I. §. 12. & 17.) quod rebus divinis &
 operationibus Spiritus S. supernatu-
 ralibus, solum hominis cor, quam fa-
 cultatem animi spiritualem diximus,
 consecratum esse debeat. Ergo omnia
 illa interna, quibus Deus colitur, in
 corde cognoscitur, diligitur, interne
 adoratur, conciliatur &c. ad *Religio-*
nem

nem proprie pertinent, & imperii civilis potestatem atq; vim egrediuntur. E contrario, quæ rationis & sensuum beneficio peraguntur, atque hominibus natura rationali præditis communia & cognita sunt, illa Principis jussu & imperio dirigi debent, cui circa hæc ex reipublicæ & status sui comodo, definiendi & statuendi potestas est. Ex hac causa Apostoli, in iis quæ ad religionem & fidem attinebant, se ulli mortalium subjectos negarunt, Act. V, 29. 42. Coll. Act. XXV. & XXVI. Imo ne ipsi quidem Apostoli fidelium religioni aut pietatis cultui imperare ausi sunt. II. Cor. I. 24. I. Pet. V, 3. Gal. II, 5. Nihilo interim minus in iis rebus, quæ ad imperium civile, res externas & morales attinebant, hoc est, quæ rectam rationem informant & sensus sanos & integros conservant, se subjectos Magistratus jussui ostenderunt, & ne alii obedire imperantibus detrectarent, sedulo hortati sunt. Rom. XIII, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Tit. III. 1. I. Pet. II, 18.

§. IIX.

§. IIX. Ex consideratione Faculta-^{De Theo-}
 tum animi, earumque objectis, de^{logi, Ju-}
 quo *Cap. I.* egimus, simul intelligitur,^{riconsul-}
 circa quid *Theologus*, *Jurisconsultus*,^{ti, Medi-}
Medicus & *Philosophus* versari debeat,^{ci, & Phi-}
 & quod singulorum officium sit, in^{losophi}
 quo ipsis elaborandum est, ne mune-^{officio.}
 ris sui terminos supergressi, μεταβά-
 αειⓄ εις ἄλλο γένⓄ aut πυλοπραγμασίης
 jure accusentur. Nimirum *Theologi*
 officium erit, curare ea, quæ: (*conf.*
Cap. I. §. 12, & 17. & Cap. 3. §. 5.) secun-
 dum S. Scripturæ ductum ad purifi-
 candum, illustrandum & pacifican-
 dum cor hominis cum Deo faciunt,
 atque ut idem, per divinam gratiam
 & ordinata media a peregrinis obje-
 ctis ad spiritualia, cœlestia sibi que de-
 stinata deducatur. *Philosophus* autem
 ager, (*secundum C. I, §. 16.*) ut ratio sa-
 nos, veros, & sobrios conceptus & ide-
 as de rebus quæ sensibus, aut aliunde
 cognoscuntur, foveat, quorum bene-
 ficio alii ad sentiendas res ipsas dedu-
 cantur & se ad vitam sapienter, bene &
 facilliter agendam disponat. *Medicus*

COR-

corporis, sensuum & quæ ad eos conservandos ordinata sunt, (*vid. Cap. I. §. 12. 9. & 15.*) habebit rationem, ut ita conserventur, quo animo prompte ministerio suo inservire possint. *Jurisconsultus* de possessionibus extra nos positis, & jure tum quoad corpus, dum quoad animum cuique debito dispiciet, ut pax & tranquillitas civilis inter homines sibi constet.

Quomodo officia distinguuntur, sed non separari debeant.

§. IX. Designavimus secundum meditationes nostras cujusque officium, si se intra limites a natura cuius rei Deo autore positos continere velit. Quæ tamen non eo pertinent, ac si prævaricationis perniciosæ accusandus is sit, qui plures, quam unam animi facultatem, aut facultati huic dedicatam disciplinam excolendam sibi sumere vellet. Quid enim impediet, quominus aliquis *Theologi* obeat munus addiscendo ea, quæ seipsum gratum apud Deum efficiunt, insimul autem juris sibi debiti, & possessionum habeat curam, quod *legum civilium*

lium cultoris munus est. Nec ea negligat, quæ ad corporis incolumitatem faciunt, quod ad *Medici* studium pertinet. Et interim omnia hæc distincte & accurate, rationis præsidio tractet atque intellecta habeat, quemadmodum *Philosophi* ingenium & methodus exposcit. Verum non ideo munia in uno homine conjuncta, confundi oportet. Quemadmodum in uno corpore 5. aut 8. sensus externos, (*vid. Cap. I. §. 9.*) animadvertimus, neque tamen auditum cum visu, aut visum cum gustu confundimus, sed quid ad quemlibet horum sensuum pertineat, distincte perspectum habemus. Sed hæc levi brachio tetigisse in præsentia sufficiat, ut aliquantisper saltem innotescat, quæ ex solida superiorum doctrinarum cognitione, utilitas expectari debeat, de quibus pluribusque aliis, fortassis alibi uberius differemus.

II) *De Origine erroris.*

§. X. Errorem non nisi in mente ^{Malus}
 E ^{animi sui}
 NO- ^{culpa-}

*tumque
habitus
est fons
errorum
præcipuus*

nostra oriri satis notum est. In animo nostro certas esse facultates, quæ ordine sese insequantur, quidve singulorum officium & objectum sit, *Cap. I.* didicimus, quæ inde cognosci possint veritates, paulo ante aliquibus exemplis speciminis loco ostendimus. Sequitur inde, oppositum veritati errorem ex nullo alio fonte quam ex perverso animi, ejusque facultatum habitu & confusione proficisci. Id quod brevissime, & per summa tantum capita deducendum hoc loco restat.

Quid error sit & quotuplex erroris origo.

§. XI. *Error* vulgo definitur *quando verum pro falso apprehendimus.* Accuratus loquendo *error est, quando aliqua percipiendi facultas in homine, (vid. Cap. I. §. 2.) non recte disposita, (vid. Cap. II. §. 5.) aliud, quam destinatum sibi objectum, (vid. Cap. I. §. 15.) percipit, aut aliter, quam debebat, ab eo afficitur.* Oritur autem omnis error ex triplici potissimum causa. (1) Quando facultates animi, & objecta peculiari animi facultate distincte percipienda

enda

enda inter se *commiscentur*. (2) Quando una percipiendi facultas in animo præ altera nimiū *extollitur*. (3) Quando una percipiendi facultas in animo præ reliquis nimiū *deprimitur*. Exemplis res evadet manifesta & illustrior.

§. XII. Homo rectus & integer a Deo est conditus Eccl:VII,24. quapropter omnes animi facultates debebant sibi invicem ordine & legitime succedere & sese identidem adjuvare, *fides* & *spiritus* debebant illustrare *rationem*, ratio *sensus*. Quælibet facultas animi versatur circa certum aliquod objectum, de quo a nobis alibi dictum est: vid. interim *Cap. I. §. 15. seqq.* Jam si una percipiendi facultas *permutatur* cum altera & falso applicatur ad rem aliquam, aut si unum facultatis objectum *commiscentur* cum alio, tunc inde teterrima quædam commixtio oritur, quæ aliquid ex vero, aliquid ex falso, aliquid ex sapientia aliquid ex stultitia, aliquid ex homine, aliquid ex bruto similiaque trahit.

*Mixtura
& confu-
sio pepe-
rit sce-
pticos.*

Galli ejusmodi mixturam *Bizarrerie* ou *Galimathias* appellare solent. Idem enim est, ac si dentibus audire, fonum naribus haurire, aut oculis famem aut sitim sentire quis vellet. Perciperet enim ejusmodi homo aliquid, sed non recte, nimirum objectum longe aliud, quam quod naturæ, his sensuum facultatibus percipere conveniens erat. Hinc etiam falso & perperam illud perciperet. Non multo aliter cum animo nostro intus comparatum est. Si quis fide rationalia aut ideas; contra ratione supernaturalia, quæ fidei sunt v. g. Deum, spiritus similiaque objecta percipere aut complecti institueret, certe similem cum iis errorem erraret, qui manibus lumen, oculis vero cibos gustari, aut contrectari posse putaret. Ex errore autem nascitur dubitatio aut incertitudo. Quæ *SCEPTICISMO* originem dedit. Academici enim novi & Pyrrhonicus nihil omnino percipi posse dicebant, percipiebant autem, ut opinor, aliquid, sed

con-

confuse nec firmiter. *Chius Metrodorus* apud Ciceronem (a) ait: nescire se, sciat aliquid, an nihil, hoc est, se nescire id ipsum nescire, & scire sit aliquid an nihil. *Arcefitas* autem primus dixit, nihil posse hominem optari, nec solum posse, sed ita necesse esse sapienti. Intellige, quatenus homo animi confusione, & mentis ægitudine laborat. Hoc enim rerum statum homo nec percipiendi facultatem in animo legitimam cognoscit, nec objecta huic respondentia discernere novit. Quod utrumque tamen ad certitudinem sibi acquirendam esse necessarium supra ostendimus *Cap. II. §. 2. seqq.* Atque ausim quovis pigro cum aliquo contendere, quemlibet in absurdam hanc *Scepticorum* sententiam deventurum, nisi solida sui & rerum externarum cognitione, rerum animique confusionem & mixturam mature caverit, a qua maxime inter initia comparandæ sapientiæ animus hominum urgeri solet.

*Nimia
unius fa-
cultatis
existima-
tio pepe-
rit super-
stitionem,
Natura-
lismum,
Fanati-
cismum.*

§. XIII. Quemadmodum ex mix-
tura ignorantio, ex ignoratione incer-
titudo, ex incertitudine dubitatio &
Scepticismus oritur; ita non paulo
minus malum imminet, si aliquam
percipiendi facultatem nimium *ex-
tallas*, atq; ei soli imperium in omnes
reliquas concedas, aut eam *solum* esse
homini ad veritatem cognoscendam
necessariam & sufficientem falso pu-
tes. Si imperium *solum perceptioni
sensuum concesseris*, nihil pro vero &
certo agnosces, nisi ad exemplum
Thomæ *Job. XX, 25. 27.* quod mani-
bus reliquisque sensibus externis at-
tractaveris. Inde orta est in religio-
ne *SUPERSTITIO*, in natura, ut ita
loquar, *bestialitas*, quæ Deum, ani-
mas, spiritus, cultum divinum, salu-
tem atque beatitudinem, solo sensu
& ex objectis, a quibus sensus affici-
tur, fecernit & metitur. Si imperium
*soli rationi & idearum fabricatori de-
tuleris*, emerget inde *NATURA-
LISMUS*, Socinianismus & similes
ejus-


ejusmodi species, quarum ultima & princeps est Deismus, ubi omnes veritates divinæ, humanæ, cœlestes, infra cœlestes, præsentis & futuri seculi, ex conceptuum & idearum mente efformatarum imaginibus, dijudicantur & emetiuntur. Si imperium *soli fidei* & spiritui in omnibus concesseris exclusis cœteris, videbis erumpere **Enthusiasmum**, **FANATICISMUM**, **Quaquerismum** & id genus doctrinarum, quibus confirmare placuit, quod solo lumine fidei res rationi & sensibus destinatae peragi debeant, de quo vid. uberius *Part. II. Speciali, Caput VII.* Unde videas ejusmodi gentem sola luminis sui supernaturalis fiducia aspernari bonas literas, scientias naturales, meditationes, studia & nisi fallor, universam prope corporis curam & cultum necessarium. Quibus tamen nec ipsimet nec quisquam alius in hac vita plane carere potest, ut adeo & se, & si quid adhuc boni habent, aliorum ludibrio hac præci-

pitantia sua exponant. Eluxit huius imperii spiritualis perperam intellecta vis, excluso rationis usu, inter Quaqueros aliquos, in primis autem inscribendi modo *G. Foxii*, quem Gerhardus Cræsus in Historia sua Quaqueriana composuisse inquit scripta, quæ, uti literarum erat rudis, centones ex scripturæ dictis collectos & quidquid aliud potius, quam ordinatam scriptionem nobis exhibent. In quo alii feliciores omnino extiterunt, qui in eadem secta, rationis tamen cultum ad sacros tractatus suos componendos attulerunt, quod ex *Barclaji* (utpote qui prius *Bajeri* iudicio ineptire desiit) *Keithii*, *Pennii*, reliquorumque lucubrationibus ordinatius scriptis conspicuum est.

Nimia unius facultatis debilitatio peperit Atheismum, Fatuitatem, Stoicismum.

§. XIV. Perniciosum & veritati noxium esse monstravimus, nimium quam par est & quam natura rei permittit, extollere aliquam in mente nostra percipiendi facultatem. Idem dicendum nunc est, si quis plus iusto facul-

facultates animi, aut unam harum præ altera *depresserit*. Si nihil aut parum vel non præcipua, *fidei* aut facultati spirituali detuleris, justus est metus, ne in *ATHEISMUM* incidas. Si *rationis* vim & conceptuum claritatem a rebus, quas pertractare suscepisti, excluderis, ad absurdam ignorationem, quæ a *FATUITATE* parum discernitur, te redigi necessum est. Si *perceptioni*, quæ per *sensus* tibi contingit, omnem potestatem adimere volueris, *STOICISMO* & indolentiæ parum rationali, te tua obnoxium reddet sententia. Sed hæc tantum attigisse hoc loco satis sit.



CAPUT IV.

De testimonio sensuum, ejusque veritate & certitudine.

SUMMARIÆ

Datur Testimonium certitudinis per sensus. §. 1.	judicium accuratum de objectis non extenditur. §. 3.
Quid ad testimonium sensuum requiratur. §. 2.	Quid sit testimonium sensuum. §. 4.
Testimonium sensuum ad	

§. I.

Datur Testimonium certitudinis per sensus.



Ognitis superioribus, iisque repetitis, quæ C. II. de certitudine percipiendi monita sunt, non est cur prolixi esse hoc loco cogamur brevitatis ceteroquin studiosissimi. Sensuum frequentes fallacias & deceptiones, recte in dubium vocavit *Cartesius*. (a) Iplis perpetuam fraudem innexam esse, ut mens sensibus rebusque externis intenta iisque observantissima, tamen per sensuum ludibrium perpetuo fallatur, nec probare potuit, nec, opinor, voluit.

§. II.

(a) In Meditationibus, Med. I. & III. Principiis Philof. Part. I. n. 4. & de Methodo.

§. II. Dico igitur mentem *per ap-* *Quid ad*
pulsus objectorum ad sensus reddi cer- *Testimo-*
 tissimam, quod nimirum res aut ob- *nium sen-*
 jectum sensibus præsens sit eosque fe- *suum re-*
 riat. Patet nimirum, quod oculus *quiratur.*
 tangatur radiis solaribus, quando hi
 oculis illabuntur; quod nares odorem
 gratum aut graveolentum percipiant;
 quod aures tinnitum & gustus cibo-
 rum varietatem, eorumque præsen-
 tiam sentiat, cum ab ipsis afficitur.
 Præter ea autem, quæ *Cap. II.* tradita
 sunt, duo imprimis ad perceptionis
 certitudinem, quæ ope sensuum con-
 tingit, observanda esse arbitramur.
 Quorum *primum* est, ut mens intenta
 sit corpori, nec ad alia distrahatur,
 alias nunquam sonitum altissimum
 per aures exaudiet, nec lucem clarissi-
 mam oculo præsentem esse cogno-
 scet. *Alterum* est, ut objectum sive
 res externæ corpus ejusque organon,
 quod sanum & integrum præquiri-
 mus, debito modo & immediate (ad
 quod etiam legitima distantia, & me-
 di-

dium interjacens legitime cognitum refertur) ita contingat, ut motus sentiatur, alias facile eveniet, ut neque ego Lipsiæ sonitum tympanorum in castris Cæsareanis, quæ in Italia sunt; nec ullam quidem rem, quæ Lipsiæ in foro agitur, in Musæo remotiori percipiam aut videam.

Testimoniam sensuum ad judicium accuratum de objectis non extenditur, sed tantum ad objecti presentiam.

§. III. Monendum est hoc loco, distinguendum omnino esse inter objectorum *presentiam*, & objectorum *præsentium* differentiam aut *dijudicationem*, in quo nimirum eorum ratio & natura constituta sit, & quomodo differat unum ab altero. *Prius* nempe objectorum *præsentiam*, mens per sensus positis, requisitis necessariis sine omni hæsitacione facile percipit, uti etiam quod aliter ab hoc, aliter ab alio objecto afficiatur, in quo observatis conditionibus certis, nunquam fallitur. *Posterius*, nimirum rei *dijudicatio* non æque sensibus concedenda est, sed ad mentis collectionem aut *rationationem* pertinet

Sen-

Sensus enim generaliter nobis tantum indicant objecti præsentiam, & quod aliter nares, aliter vero auris, aut oculus a suis objectis afficiatur, reliquæ ratiocinationes aut judicia, ad animi operationes internas pertinent. Ergo mens attenta, certissima per oculi sensum redditur de præsentia solis, cujus radii ad pupillam aut retinam propelluntur. Verum quomodo visio fiat, an per emissionem an receptionem, quomodo radii feriant oculi tunicas, istud vero dijudicare mentis officium est, non sensuum.

§. IV. Est autem *testimonium sensuum* (ne definitionem omittamus) *Testimonium sensuum.* *firmata perceptio, qua mens sana & attenta de objectis externis eorumque existentia & præsentia, per sensuum externorum contactum, aut ad eos appulsum, certa redditur.*

CAPUT V.

De testimonio Idearum, earumque veritate & certitudine.

SUMMARIÆ.

Probat̃ certitudo idearum. §. 1.

Quid sit idea, & quid idea necessaria. §. 2.

Unde certitudo idearum menti innotescat. §. 3.

Quid veritatem idearum impediãt. §. 4.

Idez prærequirunt, rem sensu prius cognitã, aut intellectu immediate perceptã fuisse. §. 5.

Unde veritas idearum cognoscatur. §. 6.

Quomodo debilitas mentis ad formandas veras idẽas cognoscatur. §. 7.

De veri Doctoris charactere. §. 8.

Quomodo certi simus de veritate idearum. §. 9.

Quid sit idea libera. §. 10.

Definitio testimonii idearum. §. 11.

§. I.

Probat̃
certitudo
Idearum.



DE omnibus rebus animus noster certus redditur per appulsum aut contactum objectorum. Est autem mens tanto de re aliqua certior, quo propius contingitur ab objecto, quod percipit. Quod si res aliqua proximius naturam mentis contingat, aut plane ad ipsius naturam tanquam

quam effectus aut simile quid per-
tinuerit, tunc omnino certissima erit
mens de re aut objecto isto, quod
ipsam intra se afficit. Ex quo facile
intelligitur, quod mens certior esse
possit de cogitatis, conceptibus suis
aut Ideis, quam de rebus materialibus
extra se positis, aut de proprio corpo-
re. Quoniam Idea rationalis, uti ali-
bi videbimus, est effectus aliquis, qui
ab anima citra Corporis auxilium
producitur, quem in se contempla-
tur & a quo tanquam ab efficta ima-
gine sua afficitur, dum ipsam intue-
tur. Consequens ergo est, ut tanto
mens certior sit de ideæ a se productæ
existentia, quanto arctius ipsa cum
mente conjungitur & ipsi præsentis-
sima remanet, etiamsi omnia alia ob-
jecta sensuum recesserint. Ita am-
putari potest alicui brachium, verum
idea de brachio menti præsens ma-
net, quantumvis objectum, scilicet
brachium, quæ ideæ occasio erat, ab-
fuerit.

§. II.

*Quid sit
Idea &
quid Idea
necessa-
ria.* §. II. Est autem idea conceptus (aut
si de re materiali agatur imaguncula)
quem mens de re quadam sibi format.

Idea autem, ut cœteras divisiones
omittamus, est vel *necessaria* vel *ar-
bitraria*, quæ libere a mente effingitur.

Idea necessaria est conceptus, quem
mens sibi ita format, uti res sensibus,
aut immediate animo percepta est,
adeoque idea necessaria semper est ve-
ra. Ita si mihi manum meam, ocu-
lum, montem, arborem, lunam simi-
liaque objecta sensibus percepta, uti
sunt, repræsento, idea est necessaria,
quia lunam, non uti arborem, nec
manum uti oculum concipere & in
idea mihi exhibere possum, nullam
enim distinctam de luna aut manu ha-
berem ideam, si eam non, uti revera
existit, conciperem & mihi in idea re-
præsenterem.

*Unde
certitudo
Idearum
menti in-
notescat.* §. III. Quoniam ergo omnis idea
necessaria, id est, conceptus distinctus
de re sensibus recte visa, aut animo
percepta, semper est vera, id est, re-
spon-

spondet objecto aut rei extra mentem
 existenti; quæritur undè scire possim,
 me in præsentem hanc, de re aliqua, ide-
 am aut conceptum animo experiri aut
 effectam habere vel habuisse. Respon-
 dendum est: *ex animi mei clara & di-*
stincta perceptione aut conscientia. Ad
 quam idearum certitudinem duo illa,
 quæ in perceptione sensuali suppone-
 bantur, C. IV. §. 2. etiam hoc loco præ-
 requirimus, nimirum (1) ut mens sana
 & ad percipiendum rite disposita, (*vid.*
Cap. II. §. 5. II.) & attenta sit ad ideam,
 quam efformat. (2) Ut Idea sive effi-
 cta imago illa afficiat mentem, dum
 eam mens contemplatur. Hoc mo-
 do quilibet homo sanus, de cogita-
 tionibus certus erit, se ita & non ali-
 ter cogitare, & mens certissima redde-
 tur, se, dum Leopoldi Imperatoris for-
 mam animo concipit, non cogitare
 de Ludovico Rege Galliarum. Et idea
 doloris multo aliter mentem afficiet,
 quam idea voluptatis aut gaudii.

§. IV. Sed multi se recte concipere
 rei ideam putant, qui male & perpe-
 ritatem

F

ram

*Idearum
impediat* ram eam concipiunt. Multi nubem pro Junone amplexantur, & Mutius aliquis purpuratum scribam pro Rege Porsenna occidit. Respondeo, qui perperam rem concipiunt, v. g. montem, dum arborem debebant, & calcem sibi formant cogitatione, dum equum debebant, isti fatui sunt & dementes, hoc est, integritate organorum corporis, aut rectitudine cogitationum destituuntur. Qui rusticum pro Rege accipiunt, aut nimis precipitanter agunt, aut rusticum & Regem nunquam attente contemplati sunt. Hoc Mutium Scævola, (de quo est apud *Livium*) decipiebat, qui ideam de rege Porsenna hanc falso concipiebat, quod is esset, qui purpureo pallio foret indutus, ideoque in scribam ejus qui purpureum gestabat pallium, incidebat. Verum si Mutius attente Regem Porsennam atque faciem animi & corporis ejus habitum lustrasset, nunquam falsam illam ideam de Porsenna animo impressisset. Omnium autem error in hoc consistit. (1)

Quod

Quod in animo percipiendi facultas non fuerit sana aut apte ad percipiendum disposita. (2) Quod non attente versati fuerint in objecti contemplatione. (3) Quod objectum, aut rem, quam qui in idea concipere volebant, nunquam sensibus antea perceperint, id quod ad conceptum, aut Idearum sensualium certitudinem, necessarium esse & præcedere ideas debere, jam supra C. I. §. 16. monuimus.

§. V. Nimirum idea est imago aut *Idea præ-*
 conceptus rei antea visæ aut imme- *requirunt*
 diate perceptæ. Ergo si objectum *rem sensu*
 nunquam sensibus aut animo perce- *prius co-*
 pi, nunquam etiam de objecto imagi- *gnitam*
 nem aut conceptum sive ideam cla- *aut intel-*
 ram & distinctam effingere aut habe- *lectu im-*
 re potero. Ita nunquam ideam ar- *mediate*
 boris pomis & ramis onustæ habitu- *perce-*
 rus sum, nisi arborem ramis onera- *ptam fu-*
 tam prius viderim. Et quis tristitiæ aut *isse.*
 gaudii ideam habebit, qui nec tristitiæ
 nec gaudii sensum unquam intra se
 expertus est? Nec quisquam, opinor,
 Imperatoris Ceylanensis Ideam sibi

recte concipiet, nisi aut ipsum, aut ejus imaginem, aut hominem ipsi similem oculis viderit. Adeoque universale est axioma: *Quod objectum nunquam sensus meos externos, animum intrinsece & immediate affecit & appulsu aut presentia sua velut tetigit, ejus rei & objecti nullam certam ideam habere possum. Conf. §. 2. & 4. Fidem autem & persuasionem habere de eo tantum possum ex relatione aliorum, de quo videatur Cap. II. §. 2. fin. & §. 13. 14.*

Unde veritas idearum cognoscatur. §. VI. *Contra, si objectum sensibus aut animo prius fuerit perceptum, tunc conferendo objectum cum idea mea, certo scire possum, ideam meam respondere objecto, eam esse necessariam & proinde veram. Per eandem rationem, alius quisquam, qui idem objectum, quod ego conspexi vidit, judicare potest, meam ideam convenire objecto, & veram esse ideam meam de objecto. Quoniam illud objectum eandem animo alterius ingerit ideam & conceptum, quam ego de illo foveo,*

mo-

modo ipsius mens ita fuerit disposita, quam mea. Namque si alicujus mens, aut potius percipiendi facultas in mente fuerit depravata, obtusa, hebes, corrupta aut plane perdita, tunc de præsentissimis objectis ideæ etiam erunt vitiosæ, deformes, horridæ, obscuræ, falsæ, absurdæ, monstrosæ, & ut verbo dicam, objectis minime conformes. Hinc si oculus fuerit lusciosus, lumen clarissimum ipsi obscuratum, aut tenebris erit mixtum, & oculo flavedine suffuso omnia flava videri tralaticium est.

§. VII. Ergo, inquis, in mente & *Quomodo debilitas mentis adformandas veras Ideas cognoscatur.* mea percipiendi facultate situm est vitium, quo minus objecta & res per ideas recte intelligere possim, verasque de iis ideas concipere. Plane ita est. Videatur si placet *Cap. II. §. 12.* Sed quo argumento intelligam mentem, aut meam percipiendi facultatem esse impeditam, hebetem aut ægram, quo minus veras ideas efformare aut dijudicare, uti res sint, possit? Et unde iterum mihi certo constabit

mentem meam jam sanitatem recepisse, ut non amplius fallar in cognitione veri & iudicio de ideis meis? Gemina est quæstio, quæ geminam quoque poscit enucleationem. Quod ad *prius* attinet, mentem meam aut perceptionem multis modis cœcutire & ad veri iudicium sine alterius auxilio, maxime inter initia lapsibus & errori obnoxiam esse, non aliunde nec melius mihi potest innotescere, quam si effectus & actiones meas inordinatas considerem, atque comparisonem instituum cum perfectioribus. Supra enim *Cap. I. §. 3.* demonstravimus, quemlibet sibi videri sapientissimum, nisi se ad normam perfectiorem exegerit, nec suam sapientiam cum melioribus & sapientissimis comparaverit. Tunc enim illico defectus suos & vitia erroremque agnoscet. Sapientissimis autem omnium citra dubium *Deusest.* Ergo qui eum recte cognoscit, & se cognoscere incipiet, & regulam habebit, ex qua intelliget, quantis quisque defectibus & vitiis urgeatur,

tur, imo etiam sentiet, quantum certitudinis & veritatis possideat, cujus fundamentum in Dei perfectionibus, ejus constanti voluntate atque imperio inveniet.

§. IIX. Quoniam vero Deum recte cognoscere summa est sapientia, nec statim eo pervenire licet, ideoque inter initia quærenda eorum est conversatio & doctrina, qui nos ad veritatem luculenter cognoscendam, & ad finem nostrum perveniendum, qui est certitudo & perceptio propria, de Deo rebusque nobis necessariis, erudire & prudenter manuducere possunt. Sed unde cognoscā, inquires, ejusmodi Doctorem, quod ipse ignorans adhuc & nullo certo judicio confirmatus? Multi enim Thyrsigeri, pauci Bachi. Multi docent, pauci erudite, & uti oportet, docent. Res tibi certe difficilis, sed tamen eadem ferme erunt persuasionis probabilis fundamenta de vero Doctore, quæ *Cap. II. §. 12, 13.* attigimus, quibus & hoc addi non inultile fuerit, si nimirum te docens quam proxime,

*De veri
Doctores
Chara-
ctere.*

ad res ate & in te ipso cognoscendas deduxerit non auctoritate & sententis, sed claris & perspicuis rationibus nixus atque has ita tibi proposuerit, ut liberum tibi de re iudicium relinquat, sciens ipsam veritatem menti, quæ nullum impedimentum pervicacia aut contentione objicit, sponte sua illabi, & ad partes suas veræ doctrinæ cupidam, sine fuce, minis aut intempestivis rhetoricationibus satis valide perducere: Contra nihil magis inconfulte, aut ineptius fieri, quam cogere quenquam ad sapientiam, quod in docente suspicionem proprii commodi habet & doctrinæ beneficium, quod alias nemini invito obtruditur, calumniis & diffidentia obnoxium reddit.

*Quomodo certi
simus de
veritate
Idearum.*

§. IX. *Alterum* erat quæsitum (*in §. 7.*) unde mihi constet percipiendi facultatem meam sanitatem aliquantisper recepisse, ut suis fidere possit ideis, quod non fallatur? Constabit illud tibi ex sensu proprio atque clara & distincta tua perceptione, quod omnia bene cohæreant, & quod ex adverso

ni-

nihil solidi etiam a doctissimis tuæ claræ perceptioni opponi possit, quo commovearis, aut quod non solida & prompta ratione dissolvere queas. Verum inquis, sæpe putavi me clare & distincte percepisse rem, quam postmodum secus esse invenio. Ad quod respondendum est, illud evenire potissimum iis, qui nimis festinanter aut præcalide de re ex dimidio sibi perspecta pronunciant. Aliter res erit, si observatis iis, quæ hoc capite § 4. in fine notavimus, semper ad exemplar perfectius aut perfectissimum, quod Deus est, *vid. §. 7. in fine*, cogitationes atque meditationes converteris, tunc enim perpetuam & constantem ideis tuis certitudinem conciliabis, ipsamque ipsis veritatem inesse animadvertes. Quemadmodum æternæ certitudinis semper esse nosti pronunciatum physicum, totum majus est sua parte; & axioma morale, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, pluraque alia hujus generis. Confirmabis quoque idearum nostrarum de rebus sublimiori-

bus & abstrusis veritatem, si conceptus & perceptiones nostræ uberius illustraverint & confirmaverint ea omnia, quæ ex sensibus, aut alias pro indubitatis agnoscuntur & citra manifestam absurditatem in dubium vocari non possunt, atque sic horum harmoniam cum nostris cogitatis & ideis ostenderint, *vid. C. II. §. 14.* Quod unio divina mystica cum immortali anima nostra detur aut vera sit, nobis aliisque facile persuaderi potest, præter alia etiam ex eo, quod sensibus fere constat, ea quæ similitudinem, affinitatem, aut proportionem inter se habeant, sponte coire & haud difficulter unire. *Ratio* autem dicitur, Parentem cum liberis morigeris, Magistratum cum subditis obedientibus, & in genere causam cum effectu sibi respondente libenter sociari. Nisi ergo bonitatem divinam, cedere humanæ benevolentiae dicere velimus, intelligemus haud obscure, ideam conjunctionis divinæ cum mentibus humanis veritati maxime conformem esse. Quod deinceps ex

Sacra Scriptura & sancto hujus conjunctionis sensu uberius & firmitus, ab eo, qui cum in se experitur, sentiri & percipi poterit, secundum §. 5. hujus capitis.

§. X. *Idea libera est, quæ pro lubitu a mente excitatur aut confingitur.* Quid sit Idea libera. Hæc interdum est vera, interdum falsa. Sic si pro lubitu, historiam ab alio mihi relatum in idea considero, non est, cur opiner, quod veritati hæc respondere non possit. Contra si aureum mihi montem hirco-cervum, vulpanserem aut Pegasus cogitatione exhibeam, libere a me conficta hæc idea est & simul falsa. Sed de his, uti & de origine idearum multisque aliis huc pertinentibus agere, non permittunt primæ hujus speciminis lineæ nostræ.

§. XI. Existimamus autem *testimonium idearum esse certam notitiam de veritate, quam mens ex conceptibus efformatis de rebus materialibus aut* Definitio testimonii Idearum.

spiritualibus antea visis aut intellectis, percipit.

CA-

CAPUT VI.

De Conscientia Hominis Naturalis.

SUMMARI A.

- Quid sit conscientia. §. 1.
 Quod detur conscientia §. 2.
 Sine objectorum perceptio-
 ne nulla est conscientia. §. 3.
 Quid conscientia recta sit.
 §. 4.
 Quid probabilis conscien-
 tia sit. §. 5.
 Quid dubia conscientia sit.
 §. 6.
 Quid sit conscientia erro-
 nea. §. 7.
 Quid ex conscientia erro-
 nea, probabili & recta oriatur.
 §. 8.
 An conscientia recta, pro-
 babilis, dubia, erronea prior sit
tranquillitate, scrupulo & in-
quietudine. §. 9.
 De conscientia antecedente
 & factum consequente judi-
 cium. §. 10.
 Unde conscientia oriatur in
 homine. §. 11.
 Ex disciplinæ diversitate
 oritur conscientia pura, firma
 contaminata. §. 12.
 Quando secundum consci-
 entiam agendum sit. §. 13.
 An conscientia erronea aut
 ex ignorantia peccans putiri
 possit. §. 14.

§. I.

*Quid sit
 conscien-
 tia.*



Conscientiæ vocabulum no-
 men & originem accepit a
cum & scio, tanquam con-
 scientia esset reminiscencia
 quædam istarum rerum, quas antea
 scivimus aut percepimus. Est au-
 tem conscientia certum testimonium cogi-
 tationum aut idearum nostrarum, quo
 admonemur, rem, de qua agitur, sic &
 non aliter sensibus aut animo aliquando

per-

perceptam aut observatam a nobis fuisse. V. g. si quæram ex aliquo, an Cajus intraverit domum tuam, dic per conscientiam, i. e. an vidisti oculis tuis Cajum domum tuam ingressum esse? An idea illa de ejus ingressu menti tuæ sic obversatur, ut illud affirmare in præsentia certissime possis, negare autem non possis?

§. II. Patet & hoc, quod prius nobis de testimonio & certitudine sensuum atque idearum agendum fuerit. *Quod datur conscientia.* Namque si nulli sunt sensus & ideæ, aut si sensus & ideæ nihil nobis exhibent, nec certos nos reddunt: sequitur quod nullam de sensibus aut ideis reminiscenciam aut intellectum reflexum, (quod conscientiam appellamus) habere possimus. E contrario, si datur intelligentia aut perceptio per sensus aut ideas, quod Capitibus præcedentibus probatum est, satis perspicuum evadit, dari Conscientiam, quæ est interna de rebus sensualibus aut spiritualibus perceptio aut recordatio per §. 1. hujus capituli.

§. III.

*Sine ob-
jectorum
perce-
ptione
nulla est
conscien-
tia.*

§. III. Patet exinde, quod is, qui nulla objecta, percepit, nullam habeat conscientiam certam. V. g. si ex infante, qui ignem nondum attigit, quæram: An flamma urit, confirma hoc per conscientiam? Is certe nihil de ea re, nisi ex aliorum asseveratione, cui fidem habet, confirmare poterit. Qui nullam rationem habet, quæ ideam turpitudinis de adulterio, furto similibusque ipsi ingessit, is nullam de adulterio, furto &c. habebit conscientiam. Ita si cæcus jurare cogatur per conscientiam: An detur arbor aut sol, is itidem nihil per conscientiam affirmare poterit, quoniam objecta, de quibus quæritur, ignorat, illaque videndo nunquam percepit.

*Quid
conscien-
tia recta
aut cer-
ta sit.*

§. IV. *Conscientia ergo recta* (unde certitudo oritur, & ideo ab aliquibus *certa* appellatur) *est, quando clare & distincte rem percepimus, illamq; distincte cognitam nobis esse affirmare possumus.*

*Quid
probabi-
lis consci-
entia sit.*

§. V. *Conscientia probabilis est, cum nec clare nec distincte sensu proprio aliquid intelligimus, sed quando perceptio-*

nostra auctoritati aliorum, aut rationibus, qua nobis verisimiliores apparent, innititur.

§. VI. *Conscientia dubia est, cum ex una parte rem aliquo modo cognoscimus, sed & ex altera parte tantundem, ne- scii quam cognitionem præferre præset.* Quid sit conscientia dubia.

§. VII. *Conscientia erronea est, cum res aut idea de re ex dimidio tantum, aut aliqua parte cognoscitur.* Quid sit conscientia erronea.

Quoniam vero falso existimare interdum solemus, rem nobis esse plene & perfecte perspectam, adeoque immature & secus, quam est, pronunciamus vel statuimus, hinc fit, ut erremus. Uti qui Religione imbutus cultum religiosum ad imaginum adorationem transfert. Et hinc conscientia error oritur. Namque si quis lapsus fuerit, ubi rem aliquam nulla ex parte cognovit, is, accurate loquendo, non tam ex errore, quam ex ignorantia deliquit aut egit. Uti quando viator plane ignorans in sylva, per quam ipsi cundum est, latrones delitescere, iter suum per aliam viam non instituit, ne-

neque illud pertendere omittit, non ex errore strictè dicto, sed ignorantia lapsus est. Ignorantia quidem in errorem ducit, sed propterea omnis error non est ignorantia, verum aliquid plus est, quam ignorantia, quoniam, qui errat, nonnulla de re cognoscit, ignorans nihil omnino de re ista novit si terminos accurate &, uti oportet, velis usurpare.

Quid ex conscientia erronea, probabilis & recta oriatur.

§. IIX. Ex conscientia *ERRONEA* oritur *anxietas & inquietudo*, quoniam aliqua ex parte deliquisse nos animadvertimus, adeoque exactè rationem repositenti reddere nequimus. Ex conscientia *PROBABILI ET DUBIA* oritur scrupulus, sive, ut vocabulo recepto dicam, *scrupulositas*, quando nimirum auctoritati alterius certo fidere non possumus, neq; tamen nobis rationes liquidæ suppetunt, quare ita potius, quam aliter, agendum sit. Ex conscientia *recta & certa* oritur *tranquillitas* animi, sive mentis serenitas. Quia de nostra sententia rebusque peractis ex immotis fun-

fundamentis & rationibus clarissimis nobis constat, nos bene, uti negotium & voluntas superioris efflagitabat, egisse.

§. IX. Existimet forte aliquis, ^{An conscientia recta, probabilis, dubia, erronea, prior sit tranquillitatem & inquietudinem?} conscientiae tantum affectiones aut effectus esse *rectam, probabilem, dubiam & erroneam*: uti conscientiae rectae, probabilis & dubiae attributa aut effectus diximus, *animi tranquillitatem, scrupulositatem & inquietudinem* §. 8. praecedenti. Notandum vero est, si vocem attributum velis generaliter explicare, ut prope idem sit, quod Scholasticis praedictum, non magnopere dissensero. Caeterum distributio conscientiae in rectam, probabilem, erroneam & dubiam desumpta potius est ex modo informandi intellectum, aut a norma imbuendi Conscientiam suam, quam ab effectibus. Ubi evidens est, aliter se habere intellectum aut conscientiam, quando per clare sibi perceptas demonstrationes aliquid cognoscit,

G quae

quæ gignunt conscientiam *rectam*; aliter, quando auctoritati fide dignæ assentitur, unde conscientia *probabilis*; aliter, quando in ambiguo versatur, quid ex demonstrationibus aut auctoritate alicujus sequendum sit, hinc conscientia *dubia*; aliter, quando demonstrationes, aut ubi auctoritas sequenda erat, eam non recte percipimus, sed erravimus, inde conscientia *erronea*. Ex ejusmodi ergo cognoscendi norma, modo aut ratione deinceps oriuntur ista stricte sic dicta attributa aut effecta, tranquillitas, scrupulositas, inquietudo, & forte plura.

De Con- §. X. Solent aliqui dividere *Con-*
scientia *scientiam* in antecedentem, quæ actio-
antece- nibus nostris præcedit, & *consequen-*
dente & *tem*, quæ eas sequitur & de peractis
factum pronunciat. Verum divisio hæc non
conse- tam philosophica, quam popularis
quente est. Vulgus enim in communi vita,
judicium. quoniam actiones suas non tam soli-
 cite & *curis* ante perpetrata facta
 con-

contemplatur, quam cum negotium peractum est, conscientia suae mutationem sentit. Post facinus enim, quando affectuum impetus cessarunt & ratio succedit, tum demum ipsi luculenter innotescit, an vere & solide antea de re statuerit, utrum vero affectuum impulsu falso judicaverit. Itaque haec divisio non in ipsa conscientia, sed hominis ignorantia minus recte rem expendente, fundamentum invenit. Secus est in homine Philosopho, qui recte rem perpendens tam ante, quam post factum eandem Conscientiae constantiam experitur, adeoque conscientia negotium antecedens illudque subsequens apud ipsum una eademque est perceptio & Conscientia. Ut proinde divisiones vel potius denominationes unius rei accurate perlustratae, in disciplinis non sint multiplicandae praeter necessitatem. Uti nec in Architectonica alia scientia est aut ars aedificandi domos apud artis peritos ante constructio-

tionem ædium & post ædes ædificatas, sed una tantum est ante & post ædes constructas ædificandi ars. Hinc divisio commode omittitur, quæ nec in modo aut norma informandi conscientiam, nec in attributorum consideratione apud prudentes fundamentum habent, sed in vulgi tantum ignara inconstantia. V. g. Homo rerum intelligens & providens, qui viro digno munus publicum conferat, perspectis causis & re ipsa idem judicat, eandemque habet conscientiam ante & post collati officii tempus. Et vir intelligens, qui obeundi muneris publici partes imponi sibi patitur, postquam diligenter rem perspexit, idem pariter judicat, eandemque habet conscientiam, antequam munus publicum susciperet, & postquam illud in se suscepit. Aliter vero res comparata est cum homine rem non accurate perpendente, ignorante, aut passionibus affectuum agitato. In hoc enim, uti cognitio & intel-

intellectus ipsius, sic etiam conscientia mutatur, tam ante, quam post rem peractam.

§. XI. Quoniam vero neque ob- *Unde*
 jecta neque conceptus expressi sive *Conscien-*
 ideæ nobis connascuntur, sed propen- *tia oria-*
 sio tantum sive capacitas ad objecta *tur in ho-*
 intelligenda & ad ideas efformandas, *mine.*
 igitur nulla Conscientia nobiscum
 actu nascitur, sed Conscientiam no-
 stram accipimus *ex contemplatione re-*
rum, hominum institutione, meditatio-
ne propria, lectione librorum sacro-
rum, aut, quod extraordinarie contigit,
ex ipsius Dei afflatu. Quære ex cœ-
 co, an bona conscientia affirmare
 possit, nullum unquam lumen aut
 astra in cœlo existere? Et tuto affir-
 mabit, (quod videntium conscientia
 non æque permittit) se nunquam de
 hisce rebus persuasum fuisse, quia
 nunquam hæc objecta sensu percepit.
 Quod surdus itidem, si interrogati
 posset, de sono & musica responderet.

G 3

Quæ-

Quare ex Cimone, (a) an per conscientiam sororem germanam liceat in matrimonio habere? Respondet, non modo per Conscientiam hoc sibi licere, sed Athenienses, vulgo patrium secuti institutum, sorores communi patre natas in uxores ducere.

*Ex disciplina di-
versitate
oritur
conscientia pura,
firma,
contaminata.*

§. XII. Igitur prout quisque ab aliquo institutus est, eandem induere solet conscientiam sive veram sive erroneam. Quæ primis initiis implantata, licet falsa & absurda sit, diutissime, & per integrum quandoque vitæ spatium, perseverare solet, ut vel propterea teneræ ætati à falsis sententiis maxime cavendum sit. Unde enim procedit Mahometanorum erronea Conscientia, quod à vino tanquam à re flagitiosa abhorreant, plurimum autem mulierum conjunctionem sive polygamiam inter res bonæ Conscientiæ concessas computent? Certe
ex

(a) Corn. Nepos Præf. & in Cimon. c. I. addantur notæ *Bæcleri* in Cim.

ex nullo alio fonte, quam quod à primis pueritiæ annis ex placitis suæ religionis ipsorum animi & conscientiæ ita imbutæ fuerint. Quapropter uti aliquis pro doctore Conscientiæ agnoscit vel Spiritus Sancti Oracula in Sacris Scripturis nobis loquentia, vel Rationis dictamen, vel sensuum impetus: consequenter Conscientiam vel *puram*, vel *firmam*, vel *contaminatam*: Spiritus S. in S. literis se patet facientis motus producant Conscientiam *puram*: (a) Rationis rectæ dictamen Conscientiam *firmam*, ut de sententia certo constet (b): sensuum impetus Conscientiam *contaminatam* & *pollutam*. (c)

§. XIII. Quæri hoc loco potest: *Quando secundum Conscientiam agendum sit.*
An aliquis conscientiam suam sequi semper teneatur? Respondendum est, quod considerari ante omnia oporteat, in quo statu nostra versetur conscientia, & quem conscientiæ ducem

G 4

quis

(a) II. Tim. I. v. 3. I. Tim. III. v. 9. (b) Rom. XIV. v. 5. (c) Tit. I. v. 15.

quis elegerit. Si quis conscientia pura egerit, adeoque Spiritus S. ex verbo divino haustis motibus obtemperaverit, is dubitare non debet, Conscientiam suam rerum gerendarum normam esse statuendam. Si quis rationis rectæ, naturalis, vel etiam gratiæ cœlesti illustratæ dictamen sequitur, neque is incertus de actionibus suis esse potest. Si quis autem confusos sensuum impetus cum aliqua rationis mixtura audiendos putaverit in peragendis vitæ negotiis, is certe male rebus suis consulat. Unde autem omnia hæc eorumque discrimen nobis innotescant, prolixius est, quam ut primis hisce lineis explicari possit.

An Conscientia erronea aut ex ignorantia peccans puniri possit.

§. XIV. Illud adhuc nobis attingendum est: An aliquis obsecutus conscientiæ erroneæ puniri ideo possit? Concedamus quod ignorantia aut error sit invincibilis, ut istiusmodi homo pro præsentis statu rem melius scire non potuerit. Existimamus

namus distingvendum esse, an ejusmodi homo, qui in errore invincibili jam versatur, causa fuerit, quod in hunc errorem inciderit, & quod se errore isto antea exuere potuisset, si debitam diligentiam adhibuisset. Hunc puniri jure posse, ob errorem ex conscientia commissum, satis claret. Non enim tam ob culpam ex ignorantia invincibili & Conscientia errante commissam punitur, quam quod operam non dederit, ut ab isto statu, in quo se positum videt, liberaretur, sibi que ab eo non satis tempestive caverit. Ita in foro humano omnem pœnam non evadit, qui ebriosus hominem occiderit. Et Gentilibus incestu & sodomia se pollutentibus pœnam dictam esse, noscitur ex Scriptura, (a) licet fortassis saltem aliqui ex iis, pro presenti forum statu, in ignorantia detenti Conscientia erronea delicta ista commiserint. Secus autem esse apparet,

G 5 quan-

(a) Levit. XVNI. v. 27. 28. & XX. v. 22. 23.

quando neque culpa nostra in erro-
rem & ignorantiam delati sumus;
neque ab errore nos liberandi ulla
nobis occasio conceditur.

CAPUT VII.

De statu naturæ & orto inde impe-
rio civili.

SUMMARI A.

Unusquisque se conservare
tenetur. §. 1. Nulla firma societas est. si-
ne imperio cogente. §. 5.

Quid sit status naturæ. §. 2. Cogitur Civitas vi & legi-
bus. §. 6.

Origo imperii civilis in sta-
tu naturali, quatenus haberi
potest, recto. §. 3. Cur ad Religionem nemo
cogi possit à principe. §. 7.

Quod Magistratus officium
ab homine pio geri possit. §. 4. Qualis coactio in Religio-
ne admitti possit. §. 8.

§. I.

Unus-
quisque
se conser-
vare te-
netur.

STatum naturæ à statu gra-
tiæ probe distingvere posse,
non modicæ sapientiæ ar-
gumentum est. Horum

commixtio Imperii civilis & Reli-
gionis officia turbavit, in Religio-
ne tyrannidem & persecutiones, in
Imperio mollem fluentemque licen-
tiam

tiati

tiam introducens. Arbitramur autem ad statum naturæ pertinere omnia illa, quæ rationis naturalis atque sensuum ope peraguntur vel comprehendi possunt. Huc referre convenit omnes obligationes, quibus homo ad conservandas vires & facultates animæ, corporis & fortunarum, cum suas tum aliorum secum viventium, adstringitur. Nec multum operæ hujus cognitio homini ratione & sensibus prædito facessere potest, si, quod omnibus notum facile evadit, *interesse, vulgo dictum, sive modum rationi & sensibus conveniens fundamenti loco cognoscatur.*

§. II. Est proinde *status nature* Quid sit status nature illa conditio, in qua homo rationem, & status nature sensuum suorum facultates ita conservare tenetur, ut nihil absurdi committatur, unde *damnum facultatibus dæctis imminere possit.* Hanc vitæ sortem proxime ad se pertinentem quisque pro sua parte tueri & se conservare tenetur. Ex quo sequitur, *sem-*
nem

nem ullo modo in iis, quæ ad conservandam rationem & sensus necessario pertinent, lædendum esse. Quod si enim alterum læsero, læsus certe, qui se quoque conservare per naturam obligatur, jure suo semetipsum legitime conservandi decedere cogetur, id quod principio §. I. *in fine* concessio repugnat. Et injuste hoc à quoquam efflagitari, inde probatur. Quia quisque hominum eandem animam idemque corpus à Deo accepit, cujus ipse proinde non est Dominus, sed obligatur sese omniratione legitima tueri.

Origo

*Imperii
civilis in
statu naturali,
quatenus
haberi
potest, re-
cto.*

§. III. Cum omnes se conservare secundum rationem teneantur, neque tamen omnibus rationis copia suppetat, ut illud prudenter efficere possint, multi etiam obfirmati pervicacia & malignitate animi illud aliis præstare nolint, quod ipsi sibi concedi postulant; sequitur necessum fuisse, ut imperium civile constitueretur. Hujus anima est erudire, conservare &

coege-

cogere subjectos ad conservandum se & alios. Si enim sponte illud homines facere instituissent, ut prudens dux & autor sive Princeps constitueretur, qui hisce expediendis præesset, & quæ cuique officia ad singulorum conservationem necessaria essent, injungeret iisdemque vim adderet, opus non erat. Neque enim credendum est, in futura beatorum vita coactioni locum superfuturum, ubi quisque non monitus officia exsequetur, & ordinem naturæ sibi à Deo assignatum prompte secundum rationem tuebitur.

§. IV. Ex quo patet, sanctum esse imperium in recto, uti haberi potest, statu naturæ, nec Magistratus officium Deo displicere ullo modo posse. Magistratus enim munus & finis est docere & instituere ad sapientiam homines ignaros & qui rationi non obsequuntur, cogere, ut ea observent, quæ sibi utilia aliisque salutaria sunt. Hinc bene meretur Magistratus de illis,

Quod Magistratus officium ab homine bene Christiano geri possit.

lis, quos sub suo imperio habet, qui ipsis non permittit, ut ad suam aliorumque perniciem viribus corporis, animæ & fortunarum, & ad quæ ipsos affectuum impetus propellit, abutantur. Sequitur etiam Christianum legitime Magistratum gerere posse, imo debere, quia verus Christianus aptissimus est, ad bene instituendos ignaros, & adhibita moderata & prudenti coactione, reluctantes ad officium rite obeundum cogendi, non quidem quatenus Christianus est, (tunc enim, uti infra demonstrabitur, cessat omnis coactio externa) sed quatenus per Christianismum affectus suos jam subigere didicit, ut nullo alio fine subjectis suis imperet, quam ut ipsis rationem monstrat, quomodo in statu naturæ, secundum rectæ rationis ductum, homines destituti sapientia se componere debeant, ut societas humana tranquille conservetur, atque hac ratione, gratum Deo hominibusque officium præstetur.

§. V.

§. V. Status autem naturæ, ra-^{Nulla fir-}
tionis & sensuum corruptus nequa-^{ma soci-}
quam patitur, ut constantem socie-^{etas sine}
tatem & perfectam nobis sine impe-^{imperio}
rio in hac vita somniando commini-^{cogente.}
scamur. Et si qui viri ingeniosi & eru-
diti Civitates Platonicas, Civitates
solis, gentes nuper in pace & amore
sine indigentia detectas, aut Utopias
ingeniosis ideis efformarunt, (vid.
cap. I. §. 16.) isti vere omnes Utopias,
id est, gentes nullibi locorum obvias,
nobis denarrant. Quorum tamen
subtilitas & ingenii commenta in id
nobis prodesse possunt, ut quoquo
modo vitia, quantum fieri potest,
emendare, restaurare rationis usum
& in melius proficere, quantum hu-
mana facultas fert, prudenter anni-
tamur.

§. VI. Imperii autem est cogere;^{Cogitur}
Coget ergo Princeps legibus & vi ad-^{Civitas &}
hibita. Cujus geminæ coactionis^{legi-}
gemma est ratio. Subjecti gaudent^{bus.}
duplici, in quam Princeps habet im-
peri-

perium, facultate, *rationali & sensuali.* (*Vid. cap. I. §. 12. seqq. & Cap. V. §. 3. 7.*) *Ratio cogitur legibus.* Hæ enim ad instruendum, non ad extinguendum lumen naturale ferri debent. Inest etiam per se rationi, præsertim ad utilitatem nostram comparatæ, maxima cogendi vis & necessitas. Si qui tamen, quod apud plurimos videre est, rationis imperium cognoscere recusaverint, quo minus imperata faciant, iis tanquam *sensuum jugo tantum parentibus, sensus feriens coactio*, vis, minæ, carceres, verbera similesque emendationes ad ipsorum & communem utilitatem addendæ sunt.

Cur ad Religionem nemo cogi possit à Principe. §. VII. Quid vero de Religionis coactione statuendum? Hoc ad partem specialem proprie pertinet. Hic loci juvat tantum obiter monuisse: *Neminem cogere posse quæquam efficaciter, nisi sibi subiectum; Nec prudenter cogi aliquem, nisi ab eo, qui rerum, ad quas aliquem cogere instituit,*
gna-

gnarus sit. Principi autem in statu naturæ, omnibusque hominibus naturalibus utrumque quoad Religionem deest. Deficit Principi subiectio cordis. Hoc enim subditi sui in imperio naturæ, quæ ratione & sensibus terminatur (vid. Cap. III. §. 3. 7.) soli Deo submiserunt, volentes tantum, ut Princeps circa ea, quæ in hac vita ipsos salvos & felices conservant, studium & imperium intendat, in quo satis habiturus est, quod agat. Deinde Princeps, quatenus imperii civilis fasces gerit, notitia Religionis, quæ Deo nos placatos gratosque reddit, destituitur. Unde enim Principis ratio sibi relicta sciet, quid homines Deo gratos sanctosque reddat? Ergo valde insipiens aut imprudens fuerit Princeps, cogere velle populum ad rem non satis sibi aliisque cum ipso in eodem statu viventibus perspectam, quæ coactio fortassis plus detrimenti, quam commodi, animis sit allatura, de quo infra videndum erit pluribus.

H

§. VIII.

*Qualis
coactio
in Religi-
one ad-
mitti
possit.*

§. VIII. Quid si interim Princeps, inquires, rerum Theologicarum & mysteriorum sacrorum gnarus fuerit? R^{sp}. Tum utique, si erudire doctrinis sacris populum suum valuerit, faciet illud, sed more & ritu à Christiano non abhorrente, i. e. *precibus, votis, adhortatione, exemplo, virtute spirituali*. Adeoque si cogere quenquam volet, coget modo conveniente. Est autem triplex cogendi modus. Cogitur corpus per vincula, Ratio argumentis, fides virtute divina & Spiritu, cui resistere non potuisse adversantes in Actis (a) Apostolorum legimus. Ergo Princeps coget subditos peccantes & sensibus obnoxios flagellis: subditos errantes & rationis capaces, legibus & jussu: Princeps autem insuper religiosus & sanctus, coget subditos ad spiritualem & piam vitam deducendos, virtute Spiritus & motibus supernaturalibus, *conf. c. V. §. 8.* Quo sensu Principi omnes

(a) Act. VI. v. 10.

omnes cogendi modos, si iis instructus est, concedimus; conf. Cap. II. §. 9. sed ut tempestivam & ad rem accommodatam coactionem adhibeat, etiam atque etiam monemus, ne flagella, ubi ratio, & rationem, ubi fides adhibenda erat, applicet. Quo errore, uti nihil ineptius est, aut absurdius, ita nihil frequentius in vita accidere solet, ut, quem sapientia & rationibus superare non possis, fustibus, caede aut ad minimum, iniquissimis calamitatibus opprimere tentes. Vid. Act. Cap. VI.

CAPUT VIII.

De libertate in statu Naturæ.

SUMMARIA.

Quid sit libertas in statu naturali. §. 7.

Quid libertatis fundamentum sit. §. 2.

Sine perfectione & robore nulla obtinetur libertas. §. 3.

Libertas est vel *sensualis*, vel *rationalis*, vel *spiritualis*.

Quid libertas sensuum. §. 4.

Libertas sensuum est omnium infima. §. 6.

Quid libertas rationis sit §. 7.

Quid sit fundamentum Libertatis rationalis. §. 8.

Libertas rationis præstat libertati sensuum. §. 9.

Quid sit libertas spiritus, & de ejus præstantia. §. 10.

Quid sit libertas vera, & quid falsa. §. 11.

Libertatem promovent per perfectiones. §. 12.

§. I.

Quid sit Libertas in statu naturali.



Quid status naturæ sit, capite præcedente indicavimus. In hoc statu imperii subjecti ad Libertatem certatim omnes eniti laborant. Quoniam aurea & omni re major libertas vulgo prædicatur. Quæsitum ergo est, quid sit libertas, ne de re incognita disputetur. Ab imperatore (a) libertas

(a) Instit. §. I. de jure person: & L. 4. ff. de Statu hominum.

Liberas definitur, quod sit naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quid vi aut jure prohibeatur. Sed nos, omissis iis, quæ Juris Consulti & Philosophi hanc in rem disputant, *Libertatem in statu natura eam dicimus conditionem, qua homo ejusmodi corporis robore & animi perfectionibus instructus est, ut agere, quid ipsi placeat, possit, & removeere virtute & robore suo omnia, quæ ipsi ad agendum ex animi sententia, impedimento sunt.* Ita qui libertatem corporis habet, in quantum eam habet, ambulare potest, ubicunque ipsi placuerit, & si amissam libertatem recuperare voluerit, necessum est, ut habeat perfectiones aut robur removendi ea, quæ ipsum in carcere aut vinculis detinent, ita, ut alios cogat, ut vel ipsum sponte dimittant, vel ipse vi sua vincula aut carcerem perumpat. Qui libertatem *rationis* consecutus est, illum sensus aut phantasia & imaginatio, tum sua, tum ali-

H 3 . orum

orum hominum, impedire non potest, quo minus, quicquid voluerit, rationis præsidio suffultus cogitet aut differat. Quod si autem hanc ratiocinandi libertatem quis impedire voluerit per affectuum commotiones, v. g. eum calumniis, injuriis aut alio modo conturbando, tunc sua vis & perfectio rationis novit modum, quem opponat istis commotionibus animi, eosque reprimat. Adeoque æquali jure gaudet libertate rationis utendi, quæ ab aliis per concitatos sensuum motus non minus amittitur, quam incedendi libertas per vincula aut carcerem arctissimum. Qui libertatem Spiritus, quo nomine Scriptura S. (a) utitur, gaudet, eum nec rationum humanarum pondera, nec sensuum terreculamenta impedire possunt, quo minus æquabili animi tranquillitate institutum suum persequatur. Habet enim eas animi perfectiones & robur, ut superare facile omnia impedi-

(a) II. Cor. VII. v. 17.

menta & objectas difficultates possit,
Sed hæc ad partem alteram hujus spe-
ciminis pertinent; fundamentum
tamen generale idem est cum cæteris
libertatis speciebus in natura.

§. II. Itaque fundamentum li-
bertatis constituimus *perfectiones*
animi, uti sapientiam, prudentiam
agendi, intellectum rerum &c. de-
inceps *robur corporis*, sine quo in
statu naturæ haud unquam continget,
ut quis libertatem suam vel plene
consequi, vel tuto habere & firmiter
conservare possit. Nam qui perfe-
ctionibus intellectus destituitur, faci-
le a sapientioribus & rerum gnaris sub-
jugum mittetur, ut libertatem sen-
tiendi & faciendi amittat. Cui ro-
bur & vires non sunt concessæ, is illi-
co a potentioribus opprimitur, quod
in conversionibus imperiorum & re-
gnis satis manifestum est. Secus au-
tem est in acquirenda & conservan-
da libertate, si quis *perfectiõibus ani-*
mi, deinde *robore corporis* pollet.

Quisque enim perfectionibus animi instructus est, is hac fiducia nixus facile ad libertatem captandam excitatur, quibus si robur & vires accesserint, nemo deinceps erit, qui ipsi sese opponere vel rationibus vel robore tentabit. Qui in statu libertatis jam vivit, atque perfectionibus & robore gaudet, cum nemo libertate privabit, quatenus perfectiones & robur habet. Quodsi enim ipsi consilia aut difficultates, quæ libertati suæ obstant, objiciantur, novit is statim ea omnia animi sui perfectionibus & majori consilio dissolvere. Si opponatur vis suæ libertati, habet majus robur, quo dispellere facile omnia possit. Exemplo in re satis clara sit Simson, quem libertate spoliare nemo poterat, quatenus suas perfectiones animi suumque robur corporis obtinebat. Quærebant Philistæi impedire libertatem suam insidiis; sed is majori perfectione animi ista prælagiens elu-

cludebat. (a) Opponebant libertati suæ valvas urbis; Simson perfectione & robore corporis instructus, sublati in humeros portis, in libertatem evadebat. (b)

§. III. Ex quo satis perspicuum est, quod is, qui nullis animi perfectionibus aut corporis robore instructus est, nullam libertatem nec obtinere nec tueri in statu naturæ possit, neque eam, si obtineat, mereatur, si secundum rationis dictamen & philosophiæ decreta pronunciari debet. Servus enim merito dicendus est, qui per ignorantiam suam & mentis absentiam, deinde etiam per corporis debilitatem eo deductus est, ut ab alio duce atque aliorum auxilio dependere opus habeat, utpote qui leges ipsi præscribant, quas tanquam machina alienis nervis mobilis sequi necessum habet. Quod si autem quispiam in eum statum aliquando evaserit, ut nec imperfectionibus

Sine perfectionibus robore nulla obtinetur libertas.

H 5 nibus

(a) Jud. XVI. v. 7. seq. (b) Jud. XVI. v. 3.

nibus aut imbecillitate animi laboraret amplius, nec robore corporis destitueretur, tunc libertatis statum, secundum sanæ Philosophiæ principia, iterum recuperat. Quoniam vero perfectiones & robur hominis mox augetur, mox deficit & minuitur, patet servos perpetuos vix dari, imo fortassis nec homines perpetuo liberos, sed, pro perfectionum & roboris ratione, hominem mox servum mox liberum, aliquando ex parte servum ex parte autem liberum evadere, nisi forte per pacta & conventiones sibi de libertate constanti & perpetua prospexerit, quæ quousque firmæ sint futuræ, viderit & experiatur, qui humanæ naturæ indolem aliquantisper penitus novit. Conf. §. præced. II. & quæ alio loco in Moralibus a nobis explicabuntur.

Libertas est vel absoluta, vel limitata. §. IV. Libertas in statu naturæ est vel absoluta, vel limitata. Absolutam solus Deus, & præter eum nemo, habet. Ratio hujus rei est, quia libertas

tas absoluta nititur perfectionibus summis & robore plenissimo, virtute & viribus omnium superioribus. Ejusmodi autem perfectiones & robur universale super omnes solus Deus habet, cui propterea nulla creatura impedimentum objicere potest, quod ipse sua divinitate non statim dispellere possit. Libertas *limitata* creaturis & hominibus concessa est in tantum, in quantum perfectionibus & robore aliis superiores sunt. Quod quoniam multivaria ratione contingit, ut aliquis virtute & viribus, modo in hoc, modo in alio genere excellat, proinde libertatem in statu naturæ pro dignitate & excellentia perfectionum suarum quisque consequi & debet & solet. Hujus infiniti propemodum gradus & varietatis species sunt. Nos summa tantum libertatis genera notabimus, sub quibus reliquæ species comprehenduntur.

§. V. Est vero libertas in genere *Libertas*
 triplex: libertas *sensitivæ*, libertas *est vel*
sensualis,
ratio- vel ratio-

nalis, vel rationis, libertas Spiritus. Prio-
spiritua- *duæ species ad statum naturæ, poste-*
lis. Quid *rior ad statum gratiæ supernaturalem*
libertas *pertinet. Libertas sensuum est, qua*
sensuum *quis integritate & organis corporis præ-*
fit. *ditus, se movere, ubicunque voluerit,*
& facultates sensuum ad objectum,
quodcunque ipsi placuerit, applicare
potest. Itaque sanitate corporis do-
natus, ambulandi, se movendi, au-
diendi, videndi inque reliquis rebus
libertatem habet, quæ sensuum mi-
nisterio peraguntur. Licet ergo in
statu naturali proficisci libere in
quamcunque mundi plagam, occu-
pare quamcunque rem in medio po-
sitam, & sese applicare facultatibus
sensuum, v. g. auditu, visu, tactu, ad
quodcunque objectum. Quam na-
turæ libertatem, quoad sensus, si quis
prohibere voluerit, repelletur ab eo,
qui majoribus viribus & robore ad-
versus impediendum decertare potest,
atque hic citra dubium, superior in
obtinenda libertate adversus infir-
mio-

miorem evadet. Hæc libertas brutis, quæ ratione humana destituuntur, communis est. Majorem vero libertatem inter bruta obtinent, quæ majori virium robore se instructa sciunt. Hæc enim sui roboris fiducia libera & sine metu incedunt, cum ceteræ bestię infirmitatis suæ conscientia plerumque ab aliis fortioribus sibi metuant, atque latebras ut plurimum circumspicere soleant. Cum autem libertatem sensuum dicimus, denominatio desumpta est ab objecto & facultatibus sensualibus, per quas se libertas hæc exerit, adeoque in subjectis rationalibus non excludimus principium dirigens mentem, quæ circa objecta externa per sensus libertatem exerit; sed indicamus tantum hac denominatione materiam, in qua versatur libertas, h. e. in rebus sensualibus. Ita homo volens proficisci in Galliam dirigit omnino mente hoc institutum, quod ad rationis libertatem pertinet, de quo §. sequenti age-

agetur; sed quatenus corpori conceditur, ut terras Gallicanas ingrediat, nec per regni custodes aditus ipsi præcluditur, hoc ad libertatem sensuum referimus.

*Libertas
sensuum
est omni-
um infi-
ma.*

§. VI. Hæc libertas sensuum omnium infima est; quia circa hominis partem infimam & ignobilissimam facultatem, nimirum corpus, & res externas versatur. Quapropter homo nulla libertate facilius carere potest, quam hæc. Multo enim facilius est homini, cum impeditur, ut musicam non audiat; aut cum ipsi prohibetur, ut imaginem aut flores hortorum aliæque objecta non iustret, quam si ipsi injungatur, ne unquam de rebus hisce cogitet, aut ullo unquam tempore ratiocinandi libertate utatur. Quod uti prohibitu ferme impossibile est, ita efficere, ut alter libertatem quiete cogitandi amittat, & de rebus suis consultandi, plane tyrannicum est, & conscientiaæ tormenta infert patienti. Inde legimus multos

eos Philosophos carceres & squalores
 corporis risisse, aut non multum de
 amissione libertatis hujus sensualis
 conquestos fuisse; verum, ut sibi ve-
 ra de rebus sententia aut ratiocinandi
 facultas adimeretur, nunquam passi
 sunt, sed erroribus & inertia vulgi,
 ratione sua & doctrina obstiterunt,
 ut se sapientiae verae beneficio liber-
 tatem rationis consecutos ostende-
 rent, quantumvis libertatem sensuum
 perdidissent, cum inique accepti fue-
 runt ab imperitis, qui male ferentes,
 quod sensibus immersi servi erro-
 rum & ignorantiae dicerentur a sapi-
 entibus, declaratam sibi infamiam
 captivitate, vinculis, verberibus,
 exilio & adempta libertate externa si-
 ve sensuum in exprobratoribus Phi-
 losophis ulcisci voluerunt. Idem
 hoc sanctissimis etiam hominibus
 vulgo accidisse ex sacris literis cla-
 rissimum est. Vid. inter plurima Cap.
 VI. ex Actis Apostolorum. Matth.
 XIV. 3, 4.

§. VII.

Quid li-
bertas
rationis
sit.

§. VII. *Libertas rationis est, quæ
quis lumine intellectus præditus est,
ut quæ vera sibi que salutaria sunt, re-
cte perspicere, & sine hesitantia &
metu erroris eadem opere ipso exequi &
peragere possit.* Ita in nostra Reli-
gione facile perspicimus, Deum ci-
borum delectu non placari. Hinc
libertatem rationis consequimur, ut
tempore quadragesimali aut aliis cer-
tis diebus a carniū esu non absti-
neamus. Quam libertatem Pon-
tificius simplicior non habet, qui de-
stitutus lumine intellectus persuade-
ri sibi patitur, se peccare, nisi pi-
sciculos comederit. Sic juramen-
tum ob turpem causam aut vi elicia-
tum non esse servandum, homo lu-
mine intellectus præditus facile per-
spicit. Hinc libertatem rationis
consequitur, ut illud opere ipso non
servet, quod ignorans aut in morali-
bus non versatus facere non potest,
qui dubitationibus aut Conscientiæ
scrupulis statim est obnoxius, si hanc
sibi

sibi libertatem sumserit. De cœteris idem esto iudicium.

§. VIII. Itaque fundamentum libertatis rationalis est *lumen intellectus*, ut quisque rei veritatem certo perspectam habeat. Sine hoc enim homo nunquam libere sentire aut agere poterit. Hinc misera captivitat^{is} fors illum manet, qui inscitia & opinionum incertitudine laborat. Nunquam enim eo in statu istiusmodi homo ad libere aliquid statuendum aut agendum se determinare poterit, aut si illud fecerit, dubius semper erit, annon ipsum suæ sententiæ aut actionis aliquando pœnitere possit. Ex quo fit, ut destitutus lumine intellectus & vera Dei cognitione, nec superstitiosus adorationem imaginum omittere, nec idololatra venerationem solis, vel cultum ipsius demonis sibi persuasum abjicere possit. Uterque enim lumine intellectus, quod ad libertatem rationis consequendam necessarium est, destituitur.

I

Con-

Contra homini, intellectu vero & cognitione clariori de Deo prædito, nihil tam liberum est, quam cultus idololatricos contemtum habere.

*Libertas
rationis
præstat
libertati
sensuum.*

§. IX. Hæc libertas rationis sive Conscientia factorum, ubi aliquis certus est, se nihil committere, quod voluntati divinæ & hominum recto judicio repugnet aut displicere possit, multo nobilior est, & infinitis modis præstantia superat libertatem sensuum, de qua §. 5. & 6. egimus. Quæso enim quid homine infelicius cogitari potest, qui semper incertus est aut extimescit, ne peccet, quando vel incedit, vel bibit, vel loquitur, aut, ut graviora exempli loco adducamus, qui dubitat, an cum nece alterius se defendere liceat, si in ejusmodi necessitatem incidat? Annon peccet, quod carni esu utatur? An conjugalis societas Deo sese approbet? Atque ejusdem generis infinita alia, quæ

quæ in vitæ usu quovis ferè momento hæsitanti objiciuntur. (a)

§. X. *Libertas Spiritus est, qua quis per efficacem Spiritus S. operationem talem vim & virtutem sibi concessam in animo suo experitur, ut res sensuales aut externas tanquam indifferentes tractare, de rebus ratione subjectis prudenter & sine perturbatione recte statuere, divinis autem dictatis in Scriptura propositis, sanctisque motibus sine impedimento obtemperare possit.* (b) Hæc libertas omnium est summa, pretiosissima & talis, quæ a nemine, nisi a solo Deo per gratiæ suæ virtutem nobis obtingere potest. (c) In qua explicanda jam breviores nos esse oportet, quoniam hæc sine partis specialis tractatione vix intelligi potest, quæ videatur.

§. XI. Circa has tres libertatum species notandum est in genere, quod

I 2

liber-

(a) Conf I. Cor. VIII. I. Cor. X. v. 20, 29. Coloss. II, 26. 21. (b) Vid. II. Cor. III. v. 17. Gal. II. 4. Gal. V. v. 13. Jac. I. 25. Jac. II. 12. (c) vid. Joh. III. 36. Rom. VI. 22. coll. v. 16.

Quid sit libertas Spiritus, & de ejus præstantia.
Quid sit libertas vera & liber- quid falsa.

libertas sit vel *vera*, vel *falsa* sive imaginaria. *Libertas vera* est, qua quis fundamenta habet & possidet, quæ ad libertatem requiruntur. Hæc autem fundamenta, uti sunt perfectiones, sapientia, robur &c. attingimus §. 2. & 8. *Libertas falsa aut imaginaria* est, cum quis licentiam sibi sumit, qui fundamentis libertatem constituentibus, (*vid. §. 2. & 8.*) destituitur. Sic falsa & imaginaria est libertas *sensuum*, si quis arctissimis vinculis in carcere custoditur, & nec vires nec robur se liberandi habet, ipse interim sibi, nescio quam, libertatem deambulandi aut proficiscendi animo finxerit. Falsa est libertas *rationis*, si quis recto lumine rationis destitutus, bruto impetu aliquid agendum aggreditur, uti cum latrones & piratæ nec rapinas nec homicidia illicita existimant, obsecuti instinctui sensuum, qui eos ad lucrum rapit, rejecto rationis dictamine, quod, si consulerent, ipsis multo alia suade-

suaderet. Falsa est libertas *Spiritus*, si quis, inhærens delectationi sensuum & solis rationis ideis, de rebus cœlestibus pronunciare, aut nescio ex quibus, commotionibus internis liquidissimæ rationis dictamina destruere & sensuum judicia negare ausus fuerit. Constat enim ex superioribus, veritatem una percipiendi facultate certo cognitam nunquam fieri falsam. *Vid. Cap. III. §. 13.* nec candelam ideo lucem amittere, quod solis splendor infinitis modis sit major & illustrior. *Conf. Cap. I. §. 12. seq.*

§. XII. Tenendum autem pro *Libertatem promobent perfectiones.* regula certissima est, quod nihil æque ad libertatem, aut acquirendam, aut conservandam sit necessarium, quam ut corporis & animi nostri vires integras conservemus, & perfectionibus majoribus illustremus. Eo enim fiet, ut secundum modum & rationem perfectionum nostrarum, libertas nostra in quovis genere augeatur. His autem deficientibus, statim no-

stra in periculum adducetur libertas. Quomodo autem vires & perfectiones hominis sint comparandæ, hoc singularem & eam quidem haud superficialiariam requirit tractationem.

CAPUT IX.

De Hypocrisi, sive de conformatione morum simulata in statu naturæ.

SUMMARIA.

Unde oriatur Hypocrisis	habeat locum. §. 5.
§. 1.	Quomodo finis & intentio bona cognoscatur. §. 6.
Quid sit Hypocrisis in statu Nat. §. 2.	Ad quem res nullius in statu naturæ pertineant. De favorabilibus & odiosis. §. 7.
Quod in statu naturæ hypocrisis sit necessaria. §. 3.	Quinam Hypocrisi uti non necessum habeat. §. 8.
An hypocrisis licita sit in statu naturæ. §. 4.	
Quando hypocrisis nullum	

§. I.

Unde oriatur hypocrisis.



Omines paribus animi perfectionibus & corporis robore præditi sibi sunt æquales, adeoque omnes liberi, quod caput præcedens ostendit.

dit. Verum si alicui aliqua defecerit perfectio, qui tamen in cœteris excellit, ea parte, ubi defectus apparet, alteri, qui isto vitio non laborat, inferior judicatur in statu naturæ: *conf. Cap. VIII. §. 3. & 12, in fine.* Adeoque aliquis liber est dominus ea in re, ubi perfectionibus donatus est, ex altero capite, ubi defectibus laborat, inferior erit & alterius servus. Profiteri autem vitia sua, adeoque se servum declarare repugnat ambitioni humanæ, qua existimatur optime eum ferre injurias naturæ, qui eas abscondit. Et ut deformitas & defectus nostri aliis clare innotescant, illud prohibet commodum sive interesse nostrum, imo etiam malevolentia & malignitas improborum hominum. Iis enim cognitis, existimatio aut concepta de nobis opinio maxime imminuitur; existimatione vero nostra integra & illibata, alii, quorum ope indigemus maxime, ad servitia nostra permoventur. His

accedit, quod a nemine facilius beneficium aut benevolentiam impetrare possimus, quam si ad morem & consuetudinem istius nos conformemus, qui nobis par aut inferior est. Hinc orta est hypocrisis in statu naturali.

Quid sit hypocrisis in statu naturali. §. II. Est autem hypocrisis in statu naturali *natura simulatio, qua defectus nostros cum industria & callide tegimus, & nos ad alterius persuasionem, mores & ingenium conformamus.* Supponit hypocrisis semper defectum aut vitium aliquod, quod nesciri ab aliis, nostra interest. Alias si rem secus, quam gesta est, exponamus, ut ut eam aliter comparatam esse non ignoremus, tum simplex erit simulatio aut dissimulatio. Si sine commodo nostro alterum deperimus simulatione, malitia dicitur.

Quod in statu naturali hypocrisis sit necessaria. §. III. Necessariam esse in statu naturali Hypocrisin ex §. I. patet. Unde fluxit axioma politicum: *qui nescit dissimulare, nescit imperare.* Non enim semper apricari vitia nostra consultum est, nisi derideri & ludibrio pluri-

plurimis esse placuerit. Et satis quidem manifestæ perspicacioribus nostræ sunt aberrationes, etiamsi nostra non accesserit confessio, quæ ingenuitatis laudem apud Christianos, stultitiæ exprobrationem & contemptum in statu naturæ apud politicos homines in præmium habere solet. Nec multum gratiæ impetrare poteris ab eo, cujus mores & ingenium dissimilitudine tua veluti sub censuram vocare aut castigare volueris.

§. IV. Hinc oritur Quæstio: An *An hypo-* hypocrisis in statu naturæ licita sit? *crisis li-*
 Eam esse necessariam in hoc statu, *cita sit*
 confirmat humanæ naturæ indoles. *in statu*
naturæ.

vid. §. 1. & 3. Eandem vero identidem esse posse noxiam, semper vero deceptoriam, luce clarius est. Decipere autem quemquam turpe indicatur. Ut varias hac in re aberrationes evitemus, videndum est, qua intentione & fine hypocrisi nos induere necessum sit. Quodsi enim finis intenditur bonus & salutaris,

I 5 ad

ad quem propter stultitiam vulgi aperta virtute non pertingere possumus, licebit eo uti subsidio, quod ad dementiam hominum est accommodatum. Nullum autem accommodatius apparet hypocrisi, *vid. definit.*

§. 2. Qua ratione & *finis* erit bonus, & *media* ex consensu istorum, quibuscum nobis negotium est, hypocriseos beneficio, erunt legitima. Ergo Princeps bello implicitus cum fortiori exhaustas vires & invalidum robur stratagematibus bellicis licite tegit, ut terrore incusso, hostem viribus superiorem ad pacem, si fieri potest, hac arte adducat. Hoc enim casu & *finis* est bonus, qui pacis studium intendit, & *media* illicita dici non possunt, quoniam hostis ipse, cum in ejusmodi statu versatur, virium suarum imbecillitatem eodem subsidio solet obvelare, adeoque concedit, ut, quod jus in alterum ipse statuit, eodem hostis suus adversus se licite uti possit. *Conf. §. 2. Cap. VII.*

§. V.

§. V. Quod si autem intentio & ^{Quando} finis fuerit malus & in perniciem al- ^{hypocrisis} terius comparatus, aut si tibi felicio- ^{nullum} ra aut laudabiliora media suppetant, ^{habeas} quibus obtinere finem tuum æque ^{locum.} possis, tunc hypocrisi haud quaquam locus concedendus erit. Quapropter minime licet per hypocrisin fingere, quod alterius utensilibus aut vasis ad usum indigeas, ea intentione, ut, si ea acceperis, domino, qui tibi ex nulla causa tenetur, eadem furto tol- las. (a) Domino enim, qui mihi nulla ratione obligatur, sua furtim eripere, semper malum est, & inten- tio auferentis cum pernicie possiden- tis conjuncta est. Quæ intentio ma- la si cessaverit, (uti quando mea tan- tum recuperare à possessore voluero) tunc non modo hypocrisin istam lici- tam esse cognoscimus, verum etiam ab ipso Deo populo Israelitico eam commendatam legimus *Exod. XII.* 35. 36.

§. VI.

(a) Add. §. 6. & 7. Instit. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur.

*Quomodo
do finis
& inten-
tio bona
cogno-
scatur.*

§. VI. Sed quæres fortassis, unde constet, quod finis licitus & non malus sit, quem in statu naturæ aliquis intendit? Quilibet enim, qui ad actionem se accingit, in opinione versatur, se bonum opus agere, adeoque putat licere sibi illud perficere, quod semel agere instituit. Et cum voluntas non nisi in bonum feratur, fieri vix posse apparet, ut se aliquis ad actionem applicet, quam opinione sua malam aut illicitam judicavit eo tempore, cum exequi destinata meditabatur. Respondeo ex *Capitis VII. §. 2.* quod in statu naturæ quilibet se & omnes animi atque corporis facultates suas conservare teneatur, ne quid damni capiant, in eis imprimis rebus, citra quas salvus esse aut incolumis persistere non potest. Sunt autem ea, sine quibus homo subsistere aut felix esse nequit, 1.) Animi tranquillitas, 2.) Rationis lumen ad judicandum, quid nobis bonum sit aut nos conservet, 3.) Corporis sanitas

nitas, 4) Opes ad victum & amictum necessariæ. (a) Ergo si quis alteri hæc eripere meditatur aut consilium suscipit, quo minus aliquis hisce sibi ad salutem & vitam summo-
 pere necessariis frui possit, ejus finis & intentio citra dubium malus & perniciosus est. Contra qui hæc bona alteri, quantum licet, procurare studet, ejus finis bonus erit & licitus in statu naturæ. Ergo qui docere instituit Atheismum, stultas doctrinas, venena disseminat, aut incendia excitat similiaque perpetrat, ejus intentio mala est, quia primum tranquillitatem animi, secundum rationis usum, tertium corporis sanitatem, quartum opes necessarias hominibus eripit. Contra qui veram Religionem, sanam Philosophiam, Medicinam salutarem, aut artes acquirendi legitime opes profitetur, ejus
 finis

(a) Conf. si placet, dissertatio nostra de eo, quod hominem omni ex parte felicem atque beatum facit, An. 1701. habita Lipsiæ §. XIII. & XXV.

finis erit bonus, quia per hæc superiora omnia ad sui conservationem necessaria comparantur & conservantur.

*Ad quem
res nul-
lius in
statu na-
ra perti-
neat.
De favo-
rabilibus
& odiosis.*

§. VII. Quoniam vero multa præterea dantur, quæ non quidem summe necessaria sunt ad obtinendam aut conservandam animi tranquillitatem, rationis lumen, corporis sanitatem & opes necessarias, sed tamen ad horum augmentum, ornatum, decus, & splendorem faciunt, hinc iterum quæritur, ad quem ista in statu Naturæ pertineant, si duo de horum possessione inter se contenderint. Uti si Turca & Magnus Mogul ante omnia pacta de occupanda quadam Insula inter se litigent, utri horum hæc adjudicanda erit? Resp. In statu Naturæ cedit res, de qua contenditur illi, *qui melioribus perfectionibus & majori robore pollet.* Conferatur Cap. IIX. §. 2. 3. Ea propter videmus omnia jura in statu naturæ, ubi nulla pacta adhuc existunt, constitu-


stituta esse ab iis, qui aut perfectionibus mentis, aut robore & viribus corporis pollebant, quibus instructi recte statuere & exequi decreta poterunt. Atque eadem prope norma & ratio tenenda est in dijudicatione *favorabilium & odiosorum* in statu naturæ, ubi *primo* favor necessitatis cum comitatur, qui se conservare aliter non potest præ eo, qui rebus, de quibus contendunt, ad sui conservationem non ita necessario indiget: *deinceps* vero cum favor excipiet, qui majoribus perfectionibus & robore pollet, præ eo, qui plane nullis aut minoribus perfectionibus est donatus.

§. VIII. Si quis tamen humana, *Quinam* quantum fieri potest ~~ante~~ rationi con- *hypocri-*veniens est, aspernari & rebus divinis *si uti non ne-*ita adherere didicit, ut contemptum *cessum* & tenuem fortunam ferre, atque *habeant.* modico contentus esse possit, is nec simulatione, nec hypocrisi, nec iis artibus necessum habebit, quibus in
 statu

statu naturæ hominum malitia & indigentia suos defectus & vitia obtegere solet, imo etiam, quibus prudentia humana uti interdum cogitur; sed vitam simpliciorum quidem & obscuram, interim tamen magis tranquillam & Deo haud paulo minus acceptam aget. Id quod ex testimonio Spiritus S. interno intelliget, quod nemo mortalium ipsi eripere nec vi aut fraudibus subducere ejus pectori poterit. Atque hoc illud est, de quo parte mox sequenti speciali distinctius, sed, quam fieri potest, brevissimis lineis jam differendum est.



IM-



IMMANUELIS PROELEI Demonstrationis

De Certitudine sensuum, Rationis
& Fidei,

Pars II. Specialis

Ea potissimum complectens, quæ *Gratiæ*
sunt & ex *THEOLOGIA*
cognoscuntur.

CAPUT I.

De Gratia ejusque statu, & orta inde
Religione. Cujus indoles & dif-
ferentia ab imperio civili explica-
tur.

SUMMARIA.

Revelatio rationis princi-
pia non destruit, sed præsup-
ponit, & illustrat. §. 1.

Cur Philosophica huic Tra-
ctationi præmitti debuerint.
§. 2.

Divisio capitis. §. 3.

I. De Gratia ejusque Statu.

Qua animi facultate Gratia
percipiatur, non ratione neque
sensibus, sed corde hominis.
§. 4.

K

Quod

Quod anima s. cor in statu gratiæ percipiat non materialia, nec rationalia, sed Dei gratiam. §. 5.

Quid sit Deus. §. 6.

Quid sit gratia divina. §. 7.

Quid ad Gratiam requiratur, §. 8.

Effectus Gratia. §. 9.

Quid sit status gratiæ. §. 10.

De Gradibus in statu gratiæ, §. 11.

Quod status gratiæ sit mutabilis. §. 12.

II. De Religione ejusque indole.

De Origine Religionis. §. 13.

Ratio, cur omnes homines appetant Religionem aliquam §. 14.

An Atheismus præstet superstitione. §. 15.

An Atheus facilius convertatur, quam supersticiosus. §. 16.

Quid sit Religio vera §. 17.

Quid sit Religio naturalis & revelata. §. 18

Quid sit falsa Religio §. 19.

Quid sit superstitio. §. 20.

Quid sit Atheismus. §. 21.

Infelicitas superstitiosi & Athei. §. 22.

Quid Religio vera doceat. §. 23.

Religionis indoles persecutiones non admittit. §. 24.

III. De differentia Religionis ab imperio civili.

Imperium civile vi, Religio amore administratur. §. 25.

Differentia Ima religionis & imperii. §. 26.

Differentia II. §. 27.

Differentia. III. §. 28.

Cur nemo ad Religionem cogendus sit. §. 29.

§. I

Revelationis principia non destruit, sed præsuppo-



Iu est, quo Theologi solide & perspicuis argumentis ostenderunt, quod revelatio nunquam tradat dogma-

gmata, quæ sanæ & rectæ rationis ^{nit & il-}
 principia evertant, imo potius confir- ^{lustrat.}
 mant iidem, divinissimas revelationes
 rationis lumen illustrare, perficere
 & altius evehere, ut homo res ratio-
 ni ante revelationem non cognitas
 admittere non amplius fastidiat, sed
 revelationem divinam naturali ratio-
 ni superiorem agnoscat, id quod The-
 ologus ingenii acumine clarissimus
Jo. Musæus (a) late per exempla osten-
 dit. Adeoque res divinæ & ex reve-
 latione cognoscendæ rationem qui-
 dem superant, nec ab illa inveniri
 possunt; postquam vero superna-
 turalia beneficio revelationis ratio-
 ni innotuerunt, ratio, venerata reve-
 lationem suscipit antea sibi incognita,
 utpote quæ nullo se niti animadver-
 tit fundamento, si ratio revelatas do-
 ctrinas sibi directe repugnare pro-
 nunciare ausa fuerit. Itaque ratio
 recta sibi relicta, licet nunquam in-

K 2

veni-

(a) In introduct. ad Theol. F. II. Cap. V. §. 12.
 P. 324.

venire possit, quod Deus velit hominum animos suæ divinæ naturæ participes reddere, postquam tamen Deus per revelationem declaravit, *se velle animos nostros, divinæ suæ naturæ participes reddere, (a) ut per hanc unionem unus cum ipso fiant Spiritus, (b) & ipsos Deus inhabitet & inambulet tanquam Templum suum: (c) dogmati huic non modo non amplius ratio adversabitur, sed maxime illud admittendum officio suo consentaneum esse putabit. (d) Unde & illud consequitur, quod rationi dogmata theologica illa maxime pro veris sint suscipienda, quæ rationem ejusque principia cognita illustrent & perficiunt; illa vero, quæ rationi prorsus repugnant, ejusque manifesta principia aperte destruunt, falsa dicenda sint, Videatur hac*

(a) II. Petr. I. 4. (b) I. Cor. VI. 17. (c) II. Cor. VI. 17. I. Cor. III. 16. I. Cor. VI. 19. Ephes. III. 17. Levit. XXVI. 11. 12. (d) Conf. Pars General. cap. V. §. 9. in fine.

hac de re *D. Alberti Graueri* libellus de unica veritate, (a) in quo viginti argumentis sententiam nostram probat & defendit, quem laudat idem sentiens *D. Abraham Calovius* in *Systemate Theologico*. (b) *D. Josua Stegmannus* in *Photiniani-*
 K 3 fimo.

(a) *Graueri* Verba in præfatione l. c. edit. in 4to paulo ante obitum suum scripta hæc sunt. *Dices, Calviniani tamen aque, ac tu, docent Philosophiam non adversari Theologia. Egregium profecto argumentum in secunda figura vitiose affirmativum. Jesuita idem docent. Ergone propterea Jesuita ero? Eadem ratione te Turcam esse probabo, quia hic credit, unum esse Deum creatorem cæli & terra. Tu idem credis. Ergo. Agnosce quam misellum tuum sit argumentum. Perinde est ac si ita concludas: Homo est animal. Bos est animal. Ergo bos est homo. Nobis optime Calvinianos docere, Philosophiam non adversari Theologia, propterea autem Calvinianus non sum, licet cum illis hoc credam, nisi tu etiam sis Calvinianus, quia resurrectionem mortuorum credis, quam & illi credunt. Verum urgebis, Calvinianos & Photinianos insuper docere: Nihil credendum quod recte rationi adversatur. Scio, eosque, si dextre intelligantur, non errare arbitror, si alias verum est, quod in hisce pagellis ex *Luthero* citavimus, nempe quicquid adversatur recte rationi, id multo magis adversatur ipsi Deo, quod verum esse non dubitamus.*
 Deo,

Deinde cum dicitur, nihil esse credendum, quod adversatur recte rationi, non est hic sensus, quasi nihil sit credendum, quod superat rectam rationem, aut quod recta ratio non assequitur aut non intelligit. Nullo enim pacto negari potest, multa esse credenda, quae plane superant captum ingenii humani, quae sunt ὑπερ νοῦν, ὑπερ λόγον, quaeque suis viribus ratio non assequitur, qualia sunt mysteria fidei de Trinitate, Incarnatione Verbi divini, Unione personali, Resurrectione mortuorum &c. Sed hic est sensus: Nihil esse credendum, quod ita adversatur recte rationi, ut eidentem & manifestam implicet contradictionem. Duo enim contradicentia simul vera esse non possunt, nec simul falsa.

(b) Calovii Verba l. c. in Prolegomen. Quaest. 14. pag. 68. sunt: Theologiam & Philosophiam sibi invicem contrariari affirmant (1) Novelli Prophetæ & Theosophi. (2) D. Daniel Hoffmannus Professor quondam Heimstad. contendit, Philosophiam pugnare cum Theologia, quod in Philosophia verum est, in Theologia falsum esse, cujus emblemata legantur in Tract. D. Alberti Graueri de simplici & unica veritate. Goslavius disput. de persona contra Keckerm. sine discrimine imputat hunc errorem Lutheranis. Sed hæc calumnia est, cum notissimum sit, a nostris Ecclesiis reprobatum fuisse errorem Hofmanni, imo ab Hofmanno ipso retractatum. Vid. Grauer. lib. cit. Nicolaus Vedelius, in Rationali suo Theol. p. 3. c. 2. p. 342. Omnis etiam fere celebriores Theologos Lutheranos docere criminatur, posse aliquid verum esse in Philosophia, quod falsum sit in Theologia & contra - - Calumniam Vedeli fusius retundimus T. I. in August. Conf. c. 11. §. 77.

Idem Calovius l. c. Cap. 3. Sect. 2. qst. 6. pag. 363.

Prin-

smo. (a) *Cornelius Martini* in *Analyfi*, (b) & in *Epistola*, in qua præcipue *B. Lutheri* sententia de quæstione, an unum idemque verum sit in *Philosophia* & *Theologia*, exponitur & vindicatur, & in refutatione *Mulleri*, ubi enucleatur, an ipse verus usus *Philosophiæ* pugnet cum *Theologia*, & an *Philosophi* sint *Patriarchæ Hæ-*

K 4

reti-

Principia & axiomata Philosophica adhiberi posse in *Theologia* non diffitemur, ut hic non nisi sophistice statum pervertit *Vedelius* in *Rationali* suo *irrationali*, operose contendens aduersus nos (sed sine aduersario) principis rationis uti licere in controversiis *Theologicis*, neque ullum fidei dogma agnoscimus sane rationi contrarium.

(a) *Stegmanni* verba sunt l. c. *Disp. 2 Qst. 1. p. 15.* edit. 3tia. *Mysteria fidei* non sunt proprie contra rationem quatenus illa in se citra corruptionem, & ut pars residua imaginis diuina spectatur. *Disp. 4. Qst. 1. p. 35.* *Largimur*, ait, non contradicere principia rationis vere & per se mysteriis *Theologicis*, nisi male ab intellectu humano applicentur. -- *Dicimus*, si principia rationis a *Photinianis* allegari solita, ex se & per se ἀληθῆς & vere contradicerent huic mysterio, tunc illud ipsum merito falsitatis argueretur.

(b) *Cornel Martini* l. c. *Part. altera cap. 6. p. m. 206.* ex *Augustino* vocat pugnam *Philosophiæ* cum *Theologia* insaniam & mendacium ex diabolo, qui mendax & homicida est a principio.

reticorum, quod negatur. D: *Jac. Martini* in *Thesibus* (a) de vero uno & simplici, oppositis *Duplicistis ἀλόγους*: *Im Vernunft-Spiegel*. (b) D. *Joh. Musæus* de usu principiorum *Philosophiæ* in controversiis *Theologicis* ex professo contra *Nicolaum Vedelium*. (c) §. II.

(a) *Jac. Martini* *Theses* has in *Academia VVittenbergenſi* 1618. 26. Jun. proposuit, & inter alia *Theſ.* 13. inquit: *Ubique ergo veritas se uno habet eodemque modo.*

(b) *Idem Jac. Martini* l. c. cap. 14. & 35. *B. Lutheri & Leonh. Hutteri* tanquam celeberrimorum sibi que consentientium *Theologorum* sententiam explicat.

(c) *Musæi* verba l. c. ex plurimis locis, quæ legi & observari merentur, hæc sunt l. 2. cap. 4. §. 17. *In posterioribus denique generis questionibus, quæ scilicet evidentem contradictionem involvunt, potest falsitas ex ratione & quidem ex principio contradictionis efficaciter confutari, non obstante, quod ab altero pro articulo fidei habeatur. Quia enim duo contradictoria in Theologia & questionibus fidei, æque ac in Philosophia simul stare nequeunt, necesse utique est, ut non articuli fidei, sed falsæ opiniones sint, quæcunque evidentem contradictionem implerant. Et §. 13. Nihil prohibet, quo minus etiam falsitas in eodem medio ex ratione petito recte confutetur, cum demonstratio veritatis, si ad oppositam falsitatem referatur, nihil aliud sit, quam ejus confutatio.*

§. II. Hæc est ratio, cur in hoc specimen philosophica, quæ ex ratione cognoscuntur, præmiserimus iis, quæ Theologica sunt, & ex revelatione innotescunt. Cum enim homini ratione prædito & a præjudiciis libero, ea, quæ parte generali tradidimus, non obscura aut incerta esse possint, certum esse puto, quod neque hæc specialior pars alicui intellectu valde difficilis sit futura, utpote quæ iisdem propemodum principiis utitur, si hanc differentiam tantum observes, quod pars hæc secunda altius ascendat & principiis rationis, parte prima suppositis, jam supernaturalia eodem modo demonstrare & cognita reddere nitatur. Quare illa, quæ parte prima dicta sunt, sæpissime repetentur hac in parte secunda, & ad sublimiora, quæ ex revelatione patefacta sunt, applicabuntur.

§. III. De tribus autem potissimum in hoc capite videndum erit, quorum

K 5

pri-

Disiſio capituli.
futatio. Quod deinceps exemplo S. Scripturæ & Arnobii ostendit. Add. D. Baieri Compend. Theol. Positiv. Proleg. cap. II. §. 46. not. (e) sqq. p. 176.

primum aget de Gratia ejusque statu:
 §.4. ad 13. *secundum* de Religione ejus-
 que indole, quæ ex statu Gratiæ oritur
 §.13. ad 24. tertium de differentia Reli-
 gionis & imperii civilis, §.24. ad finem.

I.) *De Gratia ejusque statu.*

Quæ ani- § IV. Ut clare & perspicue intelliga-
mi facul- tur, quid sit Gratia, repetendum est *ex*
tate Gra- *cap. III. §.3. part I. Gener:* quod *facultas*
tiaperci- in homine, quæ Gratiā experitur, sit
piatur: illa, quam spiritualem *cap. I. §.12.14.17.*
non rati- *Part. Gen.* appellavimus & quæ in S: li-
one, neque *Part. Gen.* appeteris (a) quoque Cor, interdum vo-
sensibus, *Part. Gen.* luntas hominis, non tamen penitus
sed corde *Part. Gen.* excluso intellectu, appellatur. Adeo-
hominis. que facultas hominis rationalis senti-
 re Gratiā non potest, nisi forte in id-
 ea, cum sibi conceptum de beatitudi-
 ne format, quod certe diaboli & da-
 mnatæ mentes facere possunt, (b) quæ
 tamen nihil inde proficiunt, aut bea-
 tiores redduntur. Multo adhuc mi-

nus

(a) Prov. XXIII. v. 25. Col. III. v. 15, 16. Luc. XII.
 v. 34. II. Cor. IV. v. 6. Eph. III. v. 17.

(b) I. Cor. II. v. 1. 4. 8. 14. I. Cor. I. v. 19. Col. II.
 v. 4. conf. P. I. Gen. cap. I. §. 16.

nus facultas sensuum Gratiam cœlestem experiri potest. (a)

§. V. *Objectum* vero sive res, quæ ^{Quod} in statu Gratia^{anima si-} ab anima sive faculta-^{be cor in} te illa Spirituali aut corde hominis ^{statu} percipiuntur, non sunt res materiales ^{Gratie} aut visibiles, quod ^{percipiat} *Part. I. Gener. cap. 7. §. 15.* probatum est. Neque idea^{non ma-} aut ^{terialis,} conceptus ex objectis formati, gratiam Dei re ipsa percipiunt, ^{nec rati-} *per cap. I. §. 16. Part. I. Gen.* Ex his enim cor ^{onal'a,} hominis anxium non plus solatii ca- ^{sed Dei} pere potest, quam famelicus ex cibis ^{Grati-} pictis aut imaginatione efformatis, ^{am.} quas homo quidem animo sibi exhibere potest, cum vult, ast sine omni spe famis depellendæ. (b) Sed objectum genuinum, ex quo cor hominis in statu Gratia^{am.} solatium, vitam & beatitudinem percipit, est *ipse Deus, ejusque sancta operatio*, quæ cor penetrat & sua præsentia & efficaci Gratia illud afficit atq; demulcet. (c) §. VI.

(a) Joh. IV. 24. I. Cor. II. 9. Rom. VIII. 7. conf. part. Gen. c. 1. §. 15. (b) Jacob. II. v. 19. (c) I. Cor. II. 9. 10. 12. 15. 16. Gal. IV. 6. Rom. IIX. 14. Eph. III. 19. 20. vid infra §. 6. 7.

Quid sit Deus. §. VI. Deus in Scriptura S. nobis describitur, (a) quod sit lux, in quo nul-
læ sunt tenebræ, aut amor, per quem in
eodem manemus. (b) Breviori autem
& perfecta definitione dicitur, (c)
quod *Deus sit Ens perfectissimum, a quo
omnia reliqua dependent.* Luminis
naturalis ductu satis luculenter nec
incommode Deus definiri potest,
quod sit *substantia invisibilis, intelli-
gens aut cogitans, ex voto & voluntate
sua possidens independenter omnes per-
fectiones, & infinita beatitudine atque
cœlesti letitia plena.*

Quid sit Gratia divina. §. VII. Quoniam itaque Deus est
Essentia habens omnes perfectiones,
& inter has imprimis *lucem, amorem
letitiam & beatitudinem;* Cor autem
hominis facultas est, quæ desiderare,
recipere, possidere & sensu intimiore
omnia hæc divina persentiscere atque
vividiore perceptione experiri potest:
hinc non erit intellectu difficile, quid
sit Gratia, quam hunc in modum de-
finie-

(a) I. Joh. I. v. 7. (b) Joh. IV. 4. 16. (c) Matth.
V. 48. & Rom. XI. 36.

finiemus: *Gratia est perceptio per facultatem spirituales, (a) aut in corde, qua homo intimo pectoris sensu divinam lucem, amorem, letitiam, beatitudinem, cæterasque perfectiones cælestes intra se experitur. Vocatur hæc Gratia in Scripturis alias Regnum Dei. (b)*

§. VIII. Cum dicitur, quod Gratia ^{Quid ad} sit perceptio cordis, hinc excludimus ^{Gratiam} perceptionem rationis per ideas aut ^{requira-} conceptus de rebus divinis, de quo jam supra (c) non itum est, uti si quispiam sibi cogitatione efformaverit gaudium aliquod aut objectum divinum, in cujus contemplatione sic oblectet animum, ac si quis aureum sibi montem aut extructas in aëre ædes cogitando effingeret, earumque intuitu imaginationem pasceret. Hæc gaudia, uti inania, ita certe valde infirma, turbulenta & desultoria sunt, cui si minima perturbatio aut infelicitas aliunde

(a) Repete ex Part. I. cap. I. §. 12. & 17.

(b) Rom. XIV. 14. Luc. XVII. 20. 21.

(c) scil. §. 5. præced. & Part. I. General. cap. I.

unde supervenerit, illico hæc omnia evanescent gaudia, nulliusque sunt roboris ad repellenda mala, quæ nos ab exteriori corporis parte urgent. Secus est, si quis vere & reali sensu divinam in corde experitur Gratiam. Illa enim tanti roboris est, ut non modo timorem omnem expellat, (a) verum ita confirmet cor, (b) ut corroboratum per Gratiam omnia valeat. (c) Requirimus autem ad hoc robur, ut quisque Gratiam hanc divinam intra se sensu cordis percipiat aut experiatur. Uti lucem intuens, oculis illi experiatur luminis suavitatem, ejusque amœnitate inter tenebras recreatur: ita cor gratiam sibi illi sentiens solatium & robur ex illius influxu accipit. Contra cæcus & videndi expers sensu, licet Cartesii Dioptricam aut doctissimas Opticorum de luce & visu commentationes memoria perfecte complexus fuerit, non ideo tamen visum

(a) Job. IV. 18. (b) Hebr. XIII 9, (c) Phil. IV. 13. Rom. IIX. 35. 37. II. Cor. VII. 4.

sum recipiet, aut cœco felicior erit, nisi forte in eo, quod jejunas quasdam de luce ideas obscuras & interdum falsas cogitationibus suis sibi excitare possit. (a)

§. IX. Gratia hæc divina *initio desiderium* hominis ardens & inquietum ^{Effectus} exfatiet, ut turbulentum & anxium ^{Gratie.} pectus tranquillum conquiescat. (b) *Deinceps* voluntatem dulcedine permulcet, eamque firmam reddit, ut in Dei benevolentia se tutam & securam plena fiducia & amore reponat. (c) *Porro* lucem & intelligentiam clarissimam pectori infundit, ut ea, quæ antea sensu diviniore tantum expertus erat, nunc distincto intellectu diviniore percipiat. *Denique* & ipsa ratio ideis spiritualibus & perspicuis illustratur, ut cultus Deo rationalis omni ex parte præstetur. (d) §. X.

(a) vid. Col. II. 18. (b) Matth. V. 6. Cap. XI. 29. (c) II. Tim. I. 12. I. Petr. I. 8. Hebr. XI. 1. (d) Confer de hac re II Cor. III. 18. II Cor. IV. 6. II. Petr. I. 19. Eph. V. 8. 13. (e) Rom. XII. 1. Conf. P. I. General: Cap. III. §. 5. & infra Part. II. Special: Cap. VII. §. 9. seqq.

*Quid sit
status
Gratiæ.*

§. X. Si quisquam ejusmodi operationes divini Spiritus ex Sancto Dei Verbo in S. literis patefacto, intra se experitur, is Gratiæ cœlesti donatus, & in statu Gratiæ versari dicitur, quemadmodum is, qui sensibus & lumine rationis uti potest, in statu naturæ rationali constitutus est. (a) *Est itaque status Gratiæ illa hominis conditio, qua quis cor ita liberatum ab impedimentis terrestribus, atque eo modo dispositum habet, ut operationes divinas in eodem haud difficulter sentire & percipere possit. Quomodo autem constet, nos in statu Gratiæ constitutos esse, illud infra Capite X. indicabitur.*

*De gradibus in
statu
Gratiæ.*

§. VI. Hic status Gratiæ in multiplici est differentia. Nos missis reliquis, quæ singularem tractationem exigunt, cujusque exacta consideratio universo orbi Christiano esset utilissima & magnopere ad se & alios cognoscendos necessaria, generales istos Gratiæ
gra-

(a) Vid. P. I. General. cap. III. §. 3.

gradus aut status, a S Johanne (a) adductos, notamus. Facit autem mentionem *Infantum, Adolescentum & Patrum*. Quas voces si aliis terminis nobis efferre licet, status Gratiae, adductum Johannis, distingui posset in statum *Incipientium*, quo pertinent Infantes, *Proficientium*, quo referendi sunt Adolescentes, & *Professorum*, qui Patribus est concedendus. Hoc loco singulorum disciplina, mores, officium, dona, privilegia cœteraque huc facientia in quovis statu essent recensenda, si exactam de iis notitiam quis publico dare vellet. Sed hæc cum diffusioris sint operæ præsens institutum excedunt, majoris etiam ingenii atque sapientiæ divinius sunt.

§. XII. Sciendum interim est, statum Gratiae, quicumque tandem is sit, Quod status Gratiae sit mutabilis. semper dependere ex parte hominis a libera voluntatis & arbitrii humani, viribus Gratiae adjuti, congrua dispositione ad recipiendum Gratiae cœlestis

L

stis

(a) I. Joh. II. 13. 14. coll. II. Cor. XIII. 5.

stis influxum: ex parte autem Dei a liberrima donorum divinatorum concessione, quæ tamen ad cordis humani habitum & dispositionem se plerumque attemperat. Quibus utrinque, cum ex arbitrio hominis, tum Dei voluntate, ita constitutis, evidens est, statum Gratiæ semper esse *mutabilem* in hac vita, imprimis vero inter acceptæ Gratiæ initia, ut vel in melius proficere possit homo, vel in deterius vitio suo prolabi, quoad vixerit. Dico quoad vixerit, nec in gratia lumine gloriæ aut intuitiva Dei visione (uti Theologi loquuntur) penitus confirmatus fuerit. Ratio hujus rei est, quod in hoc seculo occurrant objecta, tum bona, tum mala, materialia & spiritualia, eaque vel pura vel corrupta vel mixta. Homo ergo libertate donatus, neque plene confirmatus in bono habebit facultatem se convertendi ad objecta, quæ ipsi placuerint. Si enim mala elegerit, quibus inhæreat, deficiet a Deo & interno suo thesauro abscondito.

Si

Sibona elegerit, arctius Deo conjungetur, & ad perfectiora elevabitur. Alia autem rerum erit facies, ubi post hanc vitam anima incidet in objecta vel omni ex parte mala, vel perfectissima & undiquaque bona. Tunc enim, rebus ita positis, anima penitus a Deo relicta, aut plane in bono confirmata, ad unum horum tantum se convertere posse, ratio dicitur, adeoque constanter aut misera erit, aut beata. Durante autem hoc vitæ spatio, illi, qui stat, videndum est, ne cadat, (a) sed ut ad finem usque firmum retineat principium, quo sustentatur. (b) Ita enim fiet, ut adolescat prorsus in eum, qui caput est, nempe Christum (c) & justus justificetur, & sanctus Sanctificetur adhuc. (d)

II.) *De Religione ejusque indole.*

§. XIII. Sensuum & rationis humanæ naturalis conservatio in statu hominum, qui plerumque corru-

De origine Religionis,

L 2

ptus

(a) I Cor. X. 12. (b) Hebr III. 14. (c) Eph. IV. 13. 15. (d) Apocal. XXII, 11.

ptus est, peperit imperium civile, uti supra (a) ostensum est, ubi eius fundamentum & officium simul attigimus. Sed salvis sensibus & ratione restabat adhuc homini præcipua pars, nimirum animus aut cor, cujus felicitas in eo posita est, ut semper tranquillum sit & hilare in Deo. Hoc vero per imperium civile, quod ultra sensus & rationem se non porrigere probavimus, (b) impetrari non potest. Non enim apparet, quomodo Princeps, per omnes imperandi artes suas politicas, subditorum animos solide Deo placare atque Numen propitium peccantibus conciliare possit. Neque tamen homines præcipua & nobilissima hac felicitate, quæ est divina cordis tranquillitas & firma constansque mentis Dei gratia subnixa serenitas, carere ullo modo poterant. Ergo post imperium & felicitatem
civi-

(a) Part. Gen. cap. VII. (b) Part. Gen. cap. VII. §. 6.

civilem cogitari etiam coeptum est de modo aut disciplina, quæ divino & cœlesti auxilio cordi perpetuam & firmam animi tranquillitatem conciliaret. Hoc cum in nulla re visibili aut sensibus obvia situm esse deprehenderent homines, (his enim omnibus obtentis, nondum corda plene acquiescere poterant,) sapientiores existimarunt, accersendam esse illam intimam cordis serenitatem a re aut objecto sensus aut rationem excedente, id est, a Deo. (a) Modum vero sibi reconciliandi tranquillitatem animi appellarunt *Religionem*.

§. XIV. Quamvis autem Prin-
 cepts, imprimis Ethnici, Religionis
 sacris semper abusi sunt apud plebem
 ad commoda sui status; tamen Reli-
 gionis nomen apud populum nun-
 quam eam vim habuisset, nisi corda
 subditorum necessitatem hujus rei in
 se aliquo modo sensissent, & quod si-
 ne Numinis sensu pectus suum turbu-

*Ratio cur
 omnes
 homines
 appetant
 Religio-
 nem
 quam-
 dam.*

L 3 len-

(a) Conf. Act. XVII. 22. & J. G. Vossius de Origine & progressu Idolol.

lentum nunquam tranquillare poterint. Facile autem illud persuadetur, quo carere nequaquam possumus. Ergo quemadmodum gravioribus in morbis fieri solet, ut ægroti medicinæ nomine omnia in consulto admittant modo a morbo ipsos urgente liberentur: ita sitientia Gratiam divinam, ex primæva divinæ creationis lege corda, sed ignara adhuc interiorum operationum cœlestium facile sibi quidvis a Sacerdotibus, per Principes instructis, Religionis nomine persuaderi passa sunt, dummodo ægritudine mentis levarentur. Id quod fieri posse putabant istis ceremoniis & ritibus, interdum stultissimis, quibus Religionis vocabulum imponebant. Ex quo apparet omnes ab omni ævo populos veræ Religionis, quæ cor redderet tranquillum, fuisse sitientissimos, utpote qui longe felicissimi hoc bono cœlesti reddi potuissent; verum magno suo malo incidisse eos apparet in doctores vel astu-

astutos, qui cœcitate plebis ad commodum suum abutebantur, vel ignaros, qui absurda quadam superstitione eos multo reddebant infeliciores.

§. XV. Multum enim præstitisset, *An Athei*
 si populus nullam, quam falsam Re- *ifinus*
 ligionem imbibisset. Qui enim *præfer*
 nullam habet Religionem, aliquan- *superstitione.*
 do de ea, cogente conscientia & animi
 anxietate sollicitus est. Qui falsam
 sibi semel persuasit, is veram se jam
 consecutum esse arbitratur, tanto-
 que fortius in errores absurdos defen-
 dendos incumbit, quanto acrius a ve-
 ritatis luce premitur. Hinc Illustri
 Baconi Verulamio (a) superstitione
 Atheismo perniciosior judicatur.
ATHEISMUS, inquit, non prorsus
convellit dictamina sensus, non Philo-
sophiam, affectus naturales, leges, bo-
nae fame desiderium, quæ omnia licet
Religio abesset, morali cuidam virtuti
externa conducere possunt. At supersti-

L 4

tio

(a) Sermon. fidel. cap. XVII. opp. pag. m. 1166.

tio hac omnia dejicit, & tyrannidem absolutam in animis hominum exercet. Itaque Atheismus turbas in Republica raro ciet. Homines enim cautos reddit & securitati suæ consulentes. Quin & videmus, tempora illa in Atheismum procliviora, qualia fuerunt Augusti Caesaris, tranquilla fuisse, At superstitio compluribus Regnis & Rebus publicis ruina fuit. Introducit enim novum primum mobile, quod omnes Imperio sphaeras rapit. Magister superstitionis populus. Atque in omni superstitione sapientes stultis obsequuntur.

An Atheus facilius convertatur, quam superstitiosus.

§. XVI. Nec immerito dubites, an non Atheus multo facilius in viam salutis reduci possit, præ superstitioso. Atheus enim rationi innitens rationes admittit, iisque vincetur, si tales attuleris, quæ pondere suo ejus erroribus fuerint superiores, adeoque vel coactus, vel potius sponte, secundum rationis suæ ductum, (habet enim Atheus rationem licet obscuratam & speculationibus pure naturalibus

būs depravatam.) in sententiam tuam
abit, modo dederis operam, ut solidas
& ex hypothefi fua ipfum ftringentes
afferat eique opponas rationes. Quid
verò fuperftitiofus ad rationes tuas,
etiam optimas? Uti ftultum & perversum
ingenium fuum, quod nunquam
recta ratione de rebus fenfibus non
obviis ratiocinari didicit, ad accipien-
dum ex ratione lumen eft ineptum:
ita furere incipiet, quamprimum
audierit, te ab ipfo difsentire, aut in du-
bium vocare velle opinionum mort-
ftra fua, quæ tanquam Numen fuum
optimum, maximum facrofancta ha-
bet. Ideoque nihil ab eo fani, aut
quod hominem rationis ductum fe-
cutum deceat, expectari poterit; fed
abfurdæ opinioni, quam ipfi fenfus,
imaginatio, commotiones fuæ & af-
fectuum turbulenta vis femel dicta-
vit, inhærebit cum execratione &
excitato in eum tumultu, qui vel pla-
cidiffime faniora ipfum rationibus
docere voluerit.

L 5

§. XVII.

*Quid sit
Religio
Sero.*

§. XVII. Nos interim veram Religionem agnoscentes & Atheismum & superstitionem eadem opera evitabimus. Nihil autem liberæ menti & nostra principia secuto intellectui facilius est, quam quid genuina Religio sit. Diximus §. 12. 14. Cor hominis natura sua propendere ad constantem, id est, ex divina Gratia resultantem tranquillitatem, & exquirere omni studio subsidia, quæ ad hanc conducunt. Nihil autem, præter Deum posse Cor hominis solide & perfecte exsatiare, ex eo manifestum est, quoniam nullum aliud objectum huic facultati recipiendi destinatum est & proportionem respondet. (a) Quemadmodum oculus nullum aliud objectum, quam lux, exsatiat, utpote proportionem suam facultati videndi respondet: ita animo & desideriis illimitatis & prope infinitis objectum tale, nimirum infinitum

(a) Vid. Part. Gen. cap. I. 17. & Part. Spec. cap. I. §. 7.

tum & illimitatum, est concedendum, ut infinitis desideriis & animo in immensa propendenti objectum infinitum respondeat. Hoc vero solus Deus est. Deus autem, quem §. 6. definivimus, hoc loco consideratur, quatenus Gratia, luce, amore & perfectionibus suis in cor hominis influat, illudque sanctis suis operationibus replet. (a) Ergo Religio est disciplina, qua docet viam & rationem, quomodo homo in corde suo divinam Gratiam (b) sentire & experiri possit, ut tranquille vivere, placide mori, & in eternum cum Deo suavissimam societatem habere sciat. Hæc est veræ Religionis natura & operatio, ex qua patet neminem mortalium sine vera Religione vitam vere beatam & tranquillam transigere posse, tametsi opibus omnibus affluat & rationis lumine ad prodigium sit instructus. Omnia enim hæc, remota Religionis veritate, sunt vani-

(a) vid. §. 7. & 10. hujus cap. (b) de qua §. 7. & 10. hujus cap.

vanitas & afflictio Spiritus. (a) Contra Religionis genuinæ præsidio munitum cor, etiamsi defecerit caro & animus, id est, sensus & rationis vis, tamen in Deo suo delectatur, (b) cujus gratia, quam intra præcordia experitur, ipsi est rupes & portio sua in terris & coelo.

Quid sit Religio naturalis & revelata. §. XVIII. Est autem Religio vel *naturalis, vel revelata* sive supernaturalis. *Religio naturalis est modus colendi Deum, qui a rebus externis beneficio rationis per ideas de Deo colligitur.* V. g. Ethnicus videns bene de nobis meritum amandum esse & colendum, potentio-rem autem esse metuumdum, quia nobis nocere potest, concludit: Ens illud invisibile perfectum, quod Deus appellatur, est amandum & colendum, quia nobis ad nostram conservationem atque usum mundum, sidera omniaque necessaria concedit: tum etiam timendum, quia nos

(a) Eccles. II. 12. sqq. Cap. I. 13. 14. (b) Psalm. LXXIII. 25. 26.

nos affligere potest, si subtraxerit nobis ea, quibus ad vitam indigemus. *Religio revelata est modus colendi Deum, qui ex speciali revelatione, quam ex S. literis accepimus, nos docet, quomodo Deum venerari ejusque Gratiam in corde nostro experiri debeamus.* Sunt vero Religionis Revelatae Mysteria fidei rationi ineognita v. g. de SS. Trinitate, de Christo Salvatore, Justificatione, Regeneratione, Inhabitatione Spiritus S. gratiosa in fidelibus similiaque quam plurima.

§. XIX. Ex definitione, §. XVII. *Quid sit* allata, facile patet, quid sit *falsa Religio*, *Religio* *falsa.* *qua est disciplina, qua vel nullum modum sentiendi in corde suo Gratiam divinam docet, vel ita perverse, confuse & frigide eum tradit, ut, postquam satis temporis perdidimus in auscultanda & exequenda opere ipso doctrina ista, quam didicimus, nihil tamen divini de Gratia caelesti in corde nostro experiamur, ut vel tranquillius vivere vel, relictis terrestribus, securius*

rius mori possimus. Species falsæ Religionis, generatim loquendo, duæ sunt præcipuæ, *Superstitio & Atheismus.*

*Quid sit
superstitio.*

§. XX. *SUPERSTITIO est disciplina, quæ sensibus & imaginationi inherens nihil in Religione, præter ea, quæ sensus & phantasia capit, admittit, adeoque per res visibiles sibi divina imaginatur, & Deum ceremoniis aut ritibus quibusdam externis propitiandum esse opinatur.* Ex quo necessario sequitur, cor superstitiosi nihil divini sentire posse. Deus enim nec sensus, nec imaginationem inhabitat. (a) Et cum superstitiosus ne ad sublimiores rationes quidem percipiendas, quæ sensus egrediuntur, se elevare possit, multo minus ad divina & spiritualia ejus capacitas, se extendet. Superstitioni omnes propemodum gentiles, nascentis Christianismi tempore, erant immeriti, hinc præcæ Ecclesiæ doctoribus præ-

(a) Vid. Part. Gen. cap. I. §. 17.

præcipua cum iis fuit concertatio de Templis & bustis Deorum, de extis, de thurificationibus similibusque ineptis doctrinis, uti ex *Tertuliano*, *Arnobio*, *Minutio Felice*, *Lactantio* cæterisque ævi istius Patribus videre est.

§. XXI. *ATHEISMUS* est *Disciplina, quæ rationi sibi relicta innitens negat divinius aliquid existere, præter rationem, adeoque & superstitionem contemnit, & operationes supernaturales ignorans, deceptionibus annumerat, quæ de Religione supernaturali & operationibus divinis in corde dicuntur.* Quid sit Atheismus. Intelligitur hinc Atheum nullum esse posse, nisi ratione haud vulgariter utentem, & quod superstitio magis Atheismo repugnet, quam vera Religio. Cum enim vera Religio nunquam rectæ rationi repugnet (a) superstitio autem ab omni ratione plane remota sit: sequitur veram Religionem.

(a) Vid. Part. Spec. Cap. I. §. I.

ligionem majorem habere affinitatem cum ratione, licet corrupta, qualis est Athei, quam cum brutis sensibus & homine rationi prorsus nuntium mittente, qualis est superstitiosus. Interim Atheus suo in statu nullam in corde Gratiam experiri potest, quia rationi unice inhæret & fortassis se alia facultate, præter rationem & quæ cor dicitur atque divinis operationibus destinata est, instructum esse ignorat. Deus autem ejusque gratiosa operatio & perceptio salutaris se non communicat per rationem, quæ ideis tantum destinata est. (a)

Infelicitas superstitiosi & Athei. Fit varia species istorum.

§. XXII. Uterque autem, & superstitiosus, & Atheus in statu versatur infelicissimo & miserrimo. Adime enim superstitioso sua busta, aras, ceremonias, ritus, battologias similiaque externa, quibus Deum suum colere sibi que conciliare consuevit, (id quod facere non adeo difficile est,) ipsum

(a) Vid. Pars Gen. Cap. I. §. 16. & infra Cap. VII. hac parte.

ipsum prope ad desperationem de salute sua adiges, cum ipsi ea subtraxeris, quibus universa sua spes & solatium omne innititur. Quod in Micha & Labane hominibus superstitiosis aliquomodo videri potest. (a) Nec multo felicior est Atheus ratione sua, cui totus innititur. Quod si enim ipsi ratiocinationes suas gravioribus rationum momentis, (quæ homini vera sapientia probe erudito nunquam defunt) destruxeris, atque ipse animo senserit, se falsa hæctenus sensisse, evenire aliter non potest, quam ut vehementissime animo commoveatur. perspiciens rationis suæ infirmitatem, cui tantopere fidebat. Atque dum ipse nihil habet divini, neque tamen oppugnare cum ratione operationes cœlestes in corde hominis pii amplius audet, quibus ipse destituitur, rationes autem suas solide destructas videt, necessum est

M ipsum

(a) Vid. Judic. XVIII. 23. 24. Gen. XXXI. 19. 20.
2632.

ipsum animo angi & dubium reddi, videns se vacuum & inanem, atque sine rationis suæ firmitate, solatio vitam agere. Accedit quod ratio lumen suppeditet admodum infirmum, cujus vis tanta non est, ut malis, quæ nos sæpius in externis aut aliunde urgent, sese opponere iisque resistere possit, quod e contrario divinæ operationes in corde hominis fidelis multo certius & constantius efficiunt. (a) Sunt vero cum Atheismi, tum superstitionis variæ species, quæ ex hisce radicibus tanquam rami propullulantes surgunt. Sunt præterea per plurima ad hanc Religionis tractationem pertinentia. Et erat hic commodus locus ostendendi Origines *Idololatriæ*, *Cæcæciliæ*, sive falsi zeli divini, *Phariseismi*, *Hypocriseos*, teporis in Religione, & *Scepticismi*, uti etiam *Deismi*, *Naturalismi*, *Pelagianismi* naturalis, Operis operati simili-

(a) Rom. VIII. 37. II. Cor. IV. 8. 9. Cap. VI. 10.

miliuniquè aliorum in vera Religione vitiorum summopere evitandum. Verum, uti apparet, res difficilius est operæ, quam in præsentì institutum nostrum patitur. Consultius itaque fuerit, nihil hac de re, quam nimis parum aut imperfectè quippiam dixisse, quod alibi plenius fieri potest.

§. XXIII. Genuinum autem Religionis veræ munus & officium est, *Quid Religio vera doceat.* docere, quomodo recta & quantum fieri potest, brevissima via homo rerum cœlestium ignarus, divinas operationes in corde persentiscere possit. Ad quod efficiendum doctori incumbit, ut statum suum homini ad diviniora erudiri volenti placide ostendat; & quid ipsum potissimum impediatur, quo minus hoc potiri divinitatis sensu hætenus potuerit. Sed de his infra (a) ex instituto differendum erit.

§. XXIV. Quoniam vero opera- *Religio- nis inde-*
M 2 tio-

(a) Cap. VII. VIII. X. & XI. hac Parte,

les per- tiones divinæ in corde a quolibet suo
secutiones modo percipiuntur aut percipi de-
non ad- bent, *res autem sensu proprio perce-*
mittit. *cepta alteri, qui isto perceptionis sen-*
su destituitur, aut aliter ab objecto
percepto afficitur, non ita vivide osten-
di, nec de iis liquido convinci potest,
 hinc Religionis indoli plane repu-
 gnat ignaris insultare, aut quod mul-
 to adhuc ineptius est, in odia, per-
 secutiones & bella proruere ob non
 intellectum aut non approbatum
 ab altero perceptionum suarum sen-
 sum. Idem enim foret, ac si al-
 terum in vita ferre nollem, qui ol-
 faciendi sensu destitutus negaret se
 rosæ odorem sentire, uti eum ego
 sentio, aut percipiens quidem rosæ
 odorem se ab eo aliter affici confir-
 met, quam ego; se vero tali odore
 demulceri dicat, qualis ex amaran-
 tho aut chariopilis efflatur. Sa-
 tius enim esset infelici huic erran-
 ti modum aliquem expeditum & faci-
 lem commendare, cujus beneficio ad
 veram

veram percipiendi facultatem pervenire posset, ipsiusque voluntati, sponte in salutaria & bona, secundum ipsius captum & indolem, ipsi proposita pro-pendenti libertatem utendi nostro consilio relinquere: atque sic brevi omnis dissensus & disparis perceptio-nis varietas cessaret, quæ contenden-dendi ardore tantum in majus au- getur, & persecutionum tyrannide odii æternitatem accipit.

III.) *De differentia Religionis ab imperio civili.*

§. XXV. Aliter namque compa-
 ratum est cum imperio civili, aliter
 cum Religione. *Imperium* vi regi-
 tur, & nervos a coactione accipit.
 Ubi enim in Civitate metus & co-
 actio cessat, ibi Respubl. diuturna esse
 non potest. Potior enim pars in
 civitate prava est, quæ mala non
 odit, nisi formidine pœnæ. *Reli-
 gio* autem vera amorem spontaneum,
 desiderium liberrimamque volun-
 tatem

tatem pro principio & summa rei habet. Ad amorem vero spontaneum, desiderium & liberam voluntatem nemo cogi potest. Repugnat enim liberum esse & cogi. Nihil autem tam liberum est, quam amor, quem Deus post fidem prope unice a suis cultoribus flagitat. (a)

*Differen-
tia I. Re-
ligionis
& impe-
rii.* §. XXVI. Differt autem Religio ab imperio civilisatione rei subjectæ. Religio enim circa interna & cor hominis versatur, adeoque illa tractat, quæ sunt extra publicas tabulas, quæque solum Deum respiciunt. Imperium civile se ad corpus hominis & res rationis judicio subjectas sese extendit, adeoque officia imperanti & hominibus nobiscum in civitate degentibus debita considerat & dirigit.

*Differen-
tia II.
Religio-
nis &
imperii.* §. XXVII. Inde altera differentia profluxit, quod Religio solius Dei arbitrio subjecta sit, utpote qui solus
corda

(a) Joh. XIII. 34. 35. I. Joh. IV. 16. 21. Matth. XXII. 37 -- 40.

corda nostra flectere & spiritu suo & virtute divina eadem sibi obnoxia reddere potest; (a) Imperium autem civile ab imperantis voluntate & ordinatione dependet, prout ipsi visum fuerit de rebus subditorum, corporibus & rationi subiectis disponere ad ipsorum & totius imperii emolumentum. (b)

§. XXVIII. Ex quo illud sequitur, solius *Religionis* beneficio nos Deo gratos & reconciliatos reddi. Deus enim, uti spiritus est, ita interna, spiritum, veritatem & cordis puritatem exigit. (c) Hanc vero nemo hominum alteri, imo ne homo quidem sibi ipsi dare potest. (d) *Imperium* autem civile tranquillitatem & pacem externam in Republ. tantum conservat, adeoque, qui hujus est studiosus, Principi &

Differentia III. Religionis & imperii.

M 4 civi-

(a) Prov. XXI. I. XVI. I. 2 (b) Rom. XIII. I. sqq.
 (c) Joh. IV. 24. Luc. XI. 40. Matth. XV. 18.
 20. Matth. V. 8. (d) Sap. VIII. 20. 21. I. Cor.
 IV. 7.

civibus secum in civitate viventibus se gratum & acceptum præstat, ea prompte exequens, quæ Princeps ad agendum dicitavit, & quæ contribules sui ab eodem jure suo exigere possunt. Unde apparet, aliquem boni civis officium præstare posse, atque imperanti esse gratissimum, qui interim *Religionem* fovet haud undiquaque approbandam, & in qua Deo forte maxime displicet.

Cur nemo ad Religionem cogendus sit.

§. XXIX. Quapropter intempestivus eorum zelus, qui vi subditos ad Religionem cogendos esse persuadent, aut minis eos ad amplectendum aliquem divinum cultum sollicitant, ex mixtura Religionis cum imperio civili ortus, nec Deo gratus, nec ipsis cogentibus proficius esse potest. Non Deo: quia hic cultum spontaneum & amorem ex propensione liberrima a suis exigit *per §. XXV.* Quos si cogendos esse Deus utile judicaret, ipse omnium facillime sua poten-

potentia cogere posset. (a) Nec ipsis cogentibus quicquam prodest. Ipsorum enim nihil interest quam quisque Religionem profiteatur. Quod si enim quisquam officia ipsi debita sine Religione rite expleverit, nihil amplius ab eodem exigi potest, *per §. XXVII.* Metuendum proinde est, ne imperitus iste ad convertendos homines fervor non ex benefacendi voluntate & mansuetudine, sed ex calliditate politica, qua religionis prætextu simplicis plebis animi capiuntur, vel zelo sine scientia, & ambitione sine charitate proficiscatur, quod in ipsis Apostolis reprehensum fuisse a Servatore nostro legimus. (b)

(a) Vid. Luc. IX. 55. 56. Matth. XIII. 30. (b) Luc. IX. 54 -- 56.

CAPUT II.

De Testimonio cordis per Spiritum Sanctum interno. Et quid sit Testimonium Spiritus S.

SUMMARIUM.

Divisio capitis. §. 1.

I. Quod dicitur Testimonium Spiritus S. internum.

Quid sit Testimonium.

§. 2.

Synonyma vocis testimonii. §. 3.

Cur hoc Testimonium Spiritus sanctum & internum dicatur. §. 4.

Probatur ratione existentia testimonii Spiritus interni. §. 5.

Cur plurimi non sentiunt Testimonium Spiritus S. internum. §. 6.

Probatur ex sacris literis

Testimonium Spiritus S. internum. §. 7.

Quod Testim. Sp. S. sit fundamentum nostræ salutis.

§. 8.

Quod singuli Testimonio Spir. S. indigeant. §. 9.

II.) Quid sit Spiritus S. Testimonium internum.

Quid sit Test. Spir. S. internum. §. 10.

Explicatur definitio Testimonii Sp. S. §. 11.

Quod Testim. Sp. S. nulli veritati recte cognitæ repugnet. §. 12.

§. I

Divisio
Capitis.



Hoc loco breviter commonstrandum est, primo, quod detur Testimonium Spiritus

ritus ~~S~~internum, §. II. ad X. secundo, indicandum est, quid illud sit §. X. ad finem.

I.) Quod detur Testimonium Spiritus S. internum.

§. II. Testimonium nobis hoc loco Quid sit idem significat ac perceptionem, quæ nobis per contactum aut appulsum alicujus rei ad animum nostrum innotescit, ut de objecti istius presentia ejusque operationibus in mente nostra certi sumus. Sic in sensualibus de voluptate, quam ex musicæ grato concentu percepimus, certi sumus, quia musicæ harmonia aures suaviter ferit, & animus inde jucunditatem percipit, atque hoc appellatur *Testimonium sensuum*. (a) In rationalibus certi sumus de inventione certæ alicujus veritatis, quæ grata est, aut de voluptate mente concepta per ideam sive aliquod objectum

(a) Vid. Part. Gen. Cap. IV. §. 2. 4.

jectum cogitationum, quod nostras cogitationes suaviter afficit, & hoc appellatur *Testimonium idearum*. (a) Eodem modo in spiritualibus si cor nostrum ex præsentia, aut appulsu rerum divinarum ad animum nostrum, percipit se lætum aut tristem esse, atque se Deum placatum aut iratum habere sentit, tunc illa perceptio cordis appellatur *Testimonium Spiritus*. Quando autem *Testimonium Spiritus Sancti* dicitur, ut plurimum intelliguntur motus cor tranquillantes, quoniam sanctitas divina potissimum reddit puram mentem & animum lætum & hilarem.

Synonymia vocis Testimonii.

§. III. *Testimonium* autem in genere sumptum, appellatur alias *Criterion*, (b) atque idem est ac conscientia. (c) Adeoque hoc loco *Testimonium*, *Criterion* & *Conscientia* unum idemque propemodum

(a) Vid. Pars I. Gener. cap. V. §. 11. (b) Vid. Pars I. Gen. cap. V. §. 4. 11. (c) Vid. Pars I. Gen. cap. VI. §. 1.

dum denotant. Testimonium enim est, quod in specie de re quadam incertum reddit. Criterium est, quo una res ab altera perceptione distinguitur. Conscientia est, qua objectum aut rem distincte percipit. Adeoque tam Criterium & Conscientia, quam testimonium certum reddunt animum, ut termini hi diversi idem re ipsa novent, si laxè illos accipias.

§. IV. Hoc autem Testimonium, de quo agimus in specie, dicitur *Testimonium Spiritus Sancti*, a causa & ab abjecto. Proficiscitur enim hoc Testimonium ab objecto, quod spirituale est, & a quo cor spirituali modo afficitur. (a) *Sancti* quoque denominationem a causa & objecto trahit. Nam Spiritus non tantum est, qui afficit cor, sed Sanctus imo Sanctissimus, quia divinissimus Spiritus imo ipse Deus est. (b) Dicitur Testimonium hoc *internum* a modo, quia intra & in pectore nostro

Cur hoc Testimonium Spiritus Sancti & internum dicatur.

(a) I. Cor. II. 13. (b) Joh. XV. 26.

stro sentitur, & quidem a re aut objecto, quod in corde nostro intra nos existit. (a) Non enim Testimonium hoc Spiritus S. interhum proprie & immediate afficit sensus, nec rationem; (b) sed intima nostra, & si ita dicere licet, fundum animæ nostræ contingit & penetrat, (c) unde *κατ' ἐξοχὴν*, sive per excellentiam, Testimonium appellari meretur.

*Probatur
existen-
tia Testi-
monii
Spiritus
S. inter-
ni.*

§. V. Quod autem Testimoni-
um Spiritus S. internum detur, pro-
batur hoc argumento: *Deus est sub-
stantia aut ens vivens, potens, efficax
operans, luminosum & quod a subiecto
capaci percipi & recipi potest. Ani-
ma nostra & cor nostrum est substan-
tia intelligens & percipiens objectum
quod ipsam suo appulsu afficit: est ens
desiderans objectum lumine & intel-
ligentia plenum, uti oculus est facul-
tis corporis, per quam mens expe-*

(a) Rom. VIII. 9. II. II. Cor. VI. 16. (b)
Vid. Pars I Gen. Cap. I. §. 12. 17. & infra
Cap. VII. (c) Ebr. IV. §. 12. 13.

*tit lumen: insuper anima ex sine
 creationis indiget Dei possessione ad
 sui beatitudinem, quia sine Deo per-
 fecte beata esse nequit. Ergo Deus
 aut objectum istud beatum efficere &
 penetrare potest animam aut cor nos-
 trum. Et anima, nisi ponatur im-
 pedimentum, percipiet statim ad-
 esse objectum a se tantopere expe-
 titum, quemadmodum oculus sen-
 tit adesse lumen præsens. Hæc au-
 tem perceptio cordis aut animæ de
 præsentia objecti divini, est illud,
 quod vocatur Testimonium Spiri-
 tus S. internum, per §. II. III. IV.
 Quod autem Deus se velit, & quo-
 dammodo debeat, se communica-
 re animis, inde patet, quia omne bo-
 num est communicativum sui. Et pes-
 simus est, qui sui copiam indigenti
 non facit, ubi nihil ex commodo suo
 decedit, quod de Deo & ente benignis-
 simo quenquam suspicari non decet.*

(a)

§. VI.

(a) Add. Joh. XIV, 21. Matth. VII. II.

Cur plurimi non sentiant Testimonium Spiritus S. internum.

§. VI. Sed inquires : si Deus est objectum operans & lumine plenum ; quemadmodum sol aut adhuc amplius quid, unde est, quod nec ego nec plurimi mortalium aliquid de isto objecto sentiant, utut corda illud videre maximopere expetant? Respondeo : Unde est, quod cæci lumen solis clarissimum non videant, de quo tamen oculi sani sunt certissimi, qui lucem videre possunt, quando tantum volunt palpebras recludere? Inquires : in causa est impedimentum, quod oculi v. g. cataracta, fluxione aut alia quadam re objicitur, ne lucem aut objecta videat. Idem ego respondeo. Quod Deus ejusque sancta operatio non percipiatur in corde, ratio est, quia sensus per mundi hujus pulchritudinem capti in homine tenent imperium, (a) aut ratio corrupta phantasmatis quibusdam impeditur, (b) ne altius ad divina conetur ; sed de his infra plura monebuntur.

§. VII.

(a) II. Cor. 4. (b) Coll. II. 8, Eph. II. 2. 3.

§. VII. Sacræ literæ clarissimi & locupletes de hoc Testimonio Spiritus S. interno testes sunt. Nobis hoc loco quædam adduxisse sufficiat. Paulus (a) inquit: *Et ipse spiritus* (qui est causa & objectum perceptionis nostræ) *testatur* (qui est ipse Testimonii actus & perceptio) *cum spiritu nostro* (quod est subjectum percipiens) *nos esse filios Dei.* (quæ est res percepta.) Idem S. Johannes nos (b) docet inquiens: *Et spiritus is est, qui testatur spiritum esse veritatem.* In Evangelio autem Johannes (c) ait: *Spiritus ille Veritatis qui a Patre emanat, ille testabitur de me, quod* (d) *illustratur sequentibus: Advocatus autem ille, id est, Spiritus S. quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, que dixi vobis.*

§. IIX. Testimonio huic Spiritus S. interno universa salus nostra æterna, omnis doctrina Theologica & cogni-

N

fundam-

(a) Rom. VIII, 16. (b) I. Joh. V, 6. (c) Joh. XV, 20. (d) Joh. XIV, 26. coll. Eph. I, 13. 14.

*mentum n. str. a-
tuss.* gnitio de Deo salutaris (dico salutaris, non historica) innititur, quemadmodum perceptioni per visum aut tactum omnis certitudo de objectis, quæ visu & tactu percipiuntur, tribuenda est. Quæ enim res supernaturales aut divinæ sensibus aut rationis ope intelliguntur, eæ certitudinem omni exceptione majorem habere non possunt, quia objectum facultate ad perceptionem hanc destinata non cognoscitur, (a) uti, si cæcus quispiam de lumine quædam auditu tantum percepisset, certitudinem firmissimam non consequi exinde posset; verum si alius de lumine diversa quædam ab iis, quæ ante audierat, ipsi referret, dubius anxiusque inter veri & falsi probabilitatem jactaretur, quæ tamen omnis exolesceret fluctuatio, si debita facultate hauriendi lumen, id est, oculo objectum, videlicet diem aut solem conspexisset. Ideo

(a) Conf. Pars I. Gen. cap. I. §. I. seq. Part. I. Gen. cap. III. §. III. XI. seq.

Ideoque ad obrinendum sensu proprio & perceptione cordis Testimonium Spiritus S. atque hinc pendentem cordis certitudinem de salute sua, maxime & vel unice elaborandum est.

§. IX. Neque quisquam excusationem habet, eo prætextu, quod non sit Theologus. Quoniam enim sine hoc Testimonio nihil solidi, quod ad animæ salutem propriam pertinet, sciri potest, quilibet autem suæ salutis vult & debet esse studiosissimus, atque de animæ suæ statu conscientia propria certus: Alterutrum sequi necessum est, ut aut universæ salutis suæ certitudinem aliquis ignoret dubiusque & ambiguus jactetur in summa rei, aut ut Testimonium Spiritus S. habeat, quemadmodum (non enim piget exemplum intellectu facillimum, sæpius repetere) cæcus aut nullam de lumine ex relatione aliorū habebit firmam certitudinem, aut recuperata videndi facultate, proprio ocu-

lorum sensu lumen ejusque certitudinem percipiet. Aterutrum enim horum evenire necessum est.

II) *Quid sit Testimonium Spiritus S. internum.*

Quid sit Testimonium Spiritus S. interni.

§. X. Diximus capite præcedente §. 6. quod Deus sit Ens perfectissimum, a quo reliqua omnia dependent. Inter hæc perfectiones commemoravimus divinum ejus lumen, amorem, lætitiã & beatitudinem. Inde deduximus, quod Gratia nihil aliud esse possit, quam harum divinarum perfectionum in corde nostro perceptio, §. 7. & quod is, qui sine impedimento has divinas perfectiones in animo suo sentire potis est, constituatur in statu Gratiaë §. 10. Jam quæri potest, quid nobis indubitato persuadeat, nos sentire has divinas perfectiones aut Gratiam istam supernaturalem? Hoc enim est illud quod Testimonii divini interni nomine significamus *hoc capite §. 2.* Constat autem in hoc negotio nihil in-

intervenire, quam objectum feriens nostram percipiendi facultatem, quod *Deus* est, & subjectum sentiens adesse sibi objectum istud divinum, quod est *anima* aut *cor* nostrum. Quæ duo ad quamvis certitudinem necessaria esse supra requisivimus. (a) Igitur *Testimonium Spiritus S. internum est, quo Deus, per gratiosi luminis sui presentiam, cor nostrum percipiens suam Gratiã certum reddit de sanctis suis in animo operationibus & revelatis in sancto suo verbo veritatibus, ut de iis animus noster sensu proprio convictum secure conquirere possit.* (b)

§. XI. Notetur in hac definitione, ^{Explicatur definitio Testimonii Spiritus S.} (1) quod certum reddatur cor aut spiritus noster per gratiosi luminis divini presentiam. Quod si enim hæc presentia abfuerit, in tenebris & ignorantia nos versari necessum est, ex quo dubitatio & incertitudo necessario se-

N 3

qui-

(a) Part. I. Gen. Cap. II. §. 2. seq. (b) Vid. hujus Cap. §. VII. & I. Cor. II, 10. I. I. 16. Rom. XIV, 13. 17. 18. I. Joh. II, 20. 27.

quitur. (2) Quod cor nostrum Gratiam percipere aut sentire debeat, adeoque supponimus, (a) quod percipiendi hæc facultas ita jam legitime disposita sit, ut nulla impedimenta perceptioni obstant, de quibus in sequentibus monebimus. Hoc posito, necessum est, ut cum divinæ Gratiæ præsentia affulserit homini anima perceptionem de ea habeat. Si enim tantum Gratiam sperat homo a Deo, fides dicitur. Atqui nos hoc loco non quærimus de bonis futuris, sed de obsignatione rerum præsentium. Quanquam etiam obsignatio de futuris debet fieri per Gratiam aut operationem Dei præsentem. Quomodo enim aliquis per se ipsum obsignabit aut confirmabit alicui rem, qui absens est? Illa enim res aut persona, quæ obsignat, necesse est, ut animo & cordi præsentissima sit. Dicitur (3) quod ex præsentis Gratiæ sensu & perceptione oriatur *in corde certitudo*.

Hæc

(a) Ex Part. I. General. Cap. II. §. 5. num. I.

Hæc enim semper oritur in animo, quoties facultas recipiendi legitime disposita & sana ab objecto sibi destinato recte, & quemadmodum decet, afficitur. (a) Dicitur, (4) quod ex certitudine sequatur securitas & in corde tranquillitas. Hæc enim animi nostri est indoles, ut, certo cognita re, quam inquirebat, lætetur, gaudeat & suaviter conquiescat. Et de securitate quidem & gaudio ex perceptione & certitudine spirituali orta scriptura (b) te satis informabit.

§. XII. Hoc autem Testimonium Spiritus S. nunquam veritatibus ex lumine rationis cognitis, & bonis moribus in statu naturæ recte constituto introductis, nullo adhuc minus doctrinis ex sacra scriptura petitis repugnat, (c) imo potius omnia hæc suo modo illustrat. (d) Scripturæ autem

Quod Testimonium Spiritus S. nulli veritati repugnet.

N 4

S. Te-

(a) Vid. Pars I. Gen. Cap. II. §. 5. 7. 8. 9. (b) II. Cor. VII, 4. II. Cor. IIX. I. 2. Gal. V, 22. Col. II, 2. Esa. LXI, 10. 11. (c) Secundum Part. I. Gen. Cap. II. §. 14. (d) Per Part. II. Spec. Cap. I. §. 14. & infra Cap. IX. §. 9. seq.

S. Testimonium Spiritus S. internum repugnare nullo modo potest, quia (1) ab eodem hoc auctore olim profecta est Scriptura S. (2) quia hodie scripturæ subsidio, tanquam medio ordinario ad Testimonium Spiritus S. internum consequendum deducimur. Sed hæc ad Criteria Testimonii hujus pertinent, de quibus infra (a) explicatius agemus.

(a) Vid. Cap. IIX. §. IO. II. item Cap. IX.



CAPUT III.

Quod Testimonium Spiritus S. internum perceptione propria sentiatur, nec ejus certitudo ad alios, qui hujus non sunt participes, extendatur.

SUMMARI A.

Divisio Capitis. §. 1.

I) *Quod Testimonium Spiritus S. perceptione propria sentiari possit & debeat.* Probatur quod Testimonium Sp. S. ad alium non extendatur. §. 4.

Probatur Test. Sp. S. perceptione propria sentiari. §. 2. De duplici Testimonio uno certissimo altero valde probabili. §. 5.

Quomodo non experto Testim. Sp. S. a gendum sit. §. 3. Fundamentum fidei salvificæ & Historicæ. §. 6.

II) *Quod is qui sensu proprio Testimonii Sp. S. distituitur, nullam habeat firmam de eo certitudinem.* Cur fides Historica neminem beatum reddat. §. 7.

§. I.

Duo in præsentibus nobis probanda sunt, quorum *primum* est, quod Testimonium Spiritus S. a quolibet debeat per se ipsum percipi, nec in alterius fidem aut auctoritatem resolvi

§. 1. ad 4. secundum, quod hujus Testimonii certitudo a nemine solide haberi possit, qui in corde suo illud non sentiat. Id enim consequitur ex priori §. 4. ad finem.

I) *Quod Testimonium Spiritus S. perceptione propria sentiri possit & debeat.*

Probatur Testimonium Spiritus S. perceptione propria sentiri. §. II. Demonstratum est (a) quod animus certissimus esse possit de re quodam, si percipiendi facultas ab objecto sibi destinato legitime afficiatur. Hinc animus certissimus est de sono, cum auris legitime disposita ad audiendum, ab objecto, quod sonum edit afficitur : animus de odore certus est, si nares debite ab objecto odorifero afficiantur, atque sic in reliquis. Eodem loco §. 10. ostensum est, quod omnes certitudinum species ex sensu & ex propria perceptione orientur. Eadem est Testimonii Spiritus S. interni ratio. *Deus, & ejus Gratia, est objectum reale, & quod*

(a) Part. I. Cap. II. §. 4.

quod percipi potest cor nostrum est facultas intelligens & destinata ad recipiendum & sentiendum Deum. (a) Igitur sentiet & afficietur cor ab inhabitatione (uti Scriptura S. loquitur) divina. Sed cujus nam cor aut anima sentiet in se divinas has operationes? An illud, quod a *Deo* non afficitur? Hoc contradictorium est, sentire aliquid & ab ea re non affici, id est, non sentire aut, quod idem est, non contingi. (b) Ergo qui ab operationibus cœlestibus & divina Gratia in corde suo afficitur, is sentiet has operationes & hanc divinam gratiam. Reliqui, qui non afficiuntur, aut quorum corda non moventur a divinis operationibus, has ipsas nec percipient, nec intelligent, nec ullam de iis veram perceptionem habebunt, nisi tantum in idea, quam ex aliorum de narratione aut perceptione ab aliis relata hauserunt.

(a) II. Cor. VI, 16. I. Cor. VI, 19. Conf. Cap. II. §. 4. seqq. hac Parte Special. & Part. I. General. Cap. I. §. 17. (b) Vid. Part. I. Gen. Cap. II. §. 4. seqq.

serunt. Res satis manifesta tamen exemplo luculentissimo a nobis illustranda est. Sol est objectum visus, & qui sentiri potest, oculus est facultas ad recipiendum & sentiendum hoc objectum apta. Ergo quando solares radii appulsu suo tetigerint oculi tunicas, sentiet animus per oculum adesse solem & lumen. Qui autem oculo destituitur, aut si cui sol non illuxerit, is nullum de sole sensum & veram perceptionem habebit. Poterit tamen idem ex aliorum relatione, qui sensum lucis aut solis experti sunt, cognitionem aliquam de sole & luce habere per ideam aut conceptum, quem sibi ex relatione aliorum format, sed hæc cognitio oppido erit imperfecta, sterilis, & dubitationi obnoxia.

Quomodo non experto Testimonium Spiritus S. agendum sit.

§. III. Ex quo deducitur, quod, si quis de Testimonio Spiritus S. interno loqui aut commentari voluerit, qui ipse in se illud non fuerit expertus, idem agere debeat, ac si aliquis de
ter-

terra regione, aut si vis de luce, quam nunquam vidit, ex aliorum tantum relatione quædam de hisce rebus percipit, aliisque iterum hoc denarret. In quo ejusmodi recitatore[m] valde cautum esse oportet, ne multum a verbis istius, a quo relata accepit, & qui sensu proprio ista percipit, discedat, alias jure metuendum ipsi est, ne addendo aliqua aut detrahendo vera pro falsis tradat. Id quod circa legem Domini & Scripturæ Sacræ dogmata præceptum nobis legimus, (a) & quidem sub comminatione exitii æterni. (b)

II) *Quod is, qui sensu proprio Testimonio Spiritus S. destituitur, nullam habeat firmam de eo certitudinem.*

§. IV. Si objectum spirituale ab isto homine solum certo percipitur, qui ab objecto spirituali sensu proprio afficitur: (c) satis evidens est, quod

*Probat-
tur, quod
Testimo-
nium Spi-
ritus S.
ad aliura
non ex-
tenda-
tur.*

(a) Deut. IV, 2. (b) Apocalyp. XXII, 18. 19.

(c) Per §. 2. hujus capituli.

quod alter, qui hac perceptione propria destituitur, etiam ista firma certitudine, quæ ex sensu proprio oritur, careat. Si enim olfaciens rosam, solum de odore rosæ certus esse potest, perspicuum est, alium, cujus nares odor rosæ nunquam afflavit, destitui ista certitudine perceptionis; quam prior de rosæ suavitate ex sensu proprio capiebat. Omnis enim certitudo ex præsentia & contactu objecti pendet. (a) Adeoque cum altero certitudo hæc communicari non potest, nisi tantum in idea per relationem de nostra perceptione factam; sed hæc gignit solum certitudinem historicam.

De duplici Testimonio, uno certissimo, altero valde probabili.

§. V. Notari interim oportet, duplicem constitui posse certitudinem aut testimonium: *Unum* omni exceptione majorem, hæc ex perceptione propria oritur, atque de hac egimus hæctenus: *Alteram* valde probabilem, hæc rationibus nititur, quibus per-

(a) Per Part. I. Gen. Cap. II.

persuasi sumus de auctoritate, fide & sinceritate alterius, qui nobis confirmat, illa vera esse, quæ dicit & quod ipse perceptione propria de iis certus sit. De hoc monuimus in superioribus. (a) Sic nullam dubitandi rationem habeo, Wilhelmum Regem Angliæ mortuum esse, licet ipsum morientem non viderim perceptione propria. Rationes enim habeo, (1) quod res hæc accidere potuerit. Certus enim sum sensu proprio hominem posse mori. Et (2) testes locupletes hoc confirmant, qui omnes constanter mentiri non possunt, ne nullo quidem contradicente, aut rem verius explicante in re inprimis tam gravi & in causa tam publica. Iterum enim perceptione propria sensi, rem aliquam falsam, facile ab aliquo animadverti & prodi, si omnibus videnti & rem percipiendi detur copia. Ex dictis autem patet, veritatem probabilem, quæ ex idea & relatione aliorum

(a) Part. I. Gen. Cap. II. §. 12. 13.

rum hauritur, semper inniti & resolu-
vi in veritatem omni exceptione ma-
jorem, quæ sensu proprio percipitur,
qua plane deficiente, altera certitudo,
quæ ex aliorum relatione & idea per-
cipitur, consistere nequit.

*Funda-
mentum
fidei sal-
sifica &
historica.*

§. VI. Jam si Spiritus S. alicujus
cor per præsentiam suam de gratia di-
vina confirmet, ut percipiendo illam
intra se sentiat, tunc oritur testimoni-
um de hac veritate in corde omni ex-
ceptione majus ut cum Paulo dicere
possit, *novi & persuasum habeo: (a)*
item *Scimus. (1)* Quod si autem *san-
ctus aliquis* aut plane *Angelus*, qui per-
ceptione propria testimonium spiri-
ritus in se habet & intuitura visioni
Deum contemplatur, alterum de Gra-
tia divina hæsitantem confirmaverit,
tunc oritur testimonium de veritate
in animo alterius, maxime probabile,
& veritate plane historica certum,
quia nullam dubitandi rationem is,
cui

(a) II. Tim. I, 12. Rom. VIII, 38. Cap. XIV, 14.

(1) Rom. IIX, 28.

cui illud testimonium perhibetur, ha-
 bet, cur sibi perhibens testimonium
 de divina veritate ipsum decipere ve-
 lit, inprimis cum certus sit, perhiben-
 tem testimonium esse hominem pro-
 bum & rerum, quas profert gnarum,
 ut nec fallere velit per malitiam, nec
 errare possit per ignorantiam. *Prius*
testimonium (intellige per ipsius Spiri-
 tus S. operationem internam in cor-
 de factam) parit *fidem salvificam*, quia
 cor certitudinem immotam de salute
 sua haurit ex ipso Dei Spiritu. *Poste-*
rius autem (scilicet quod ab altero
 nobis fertur,) parit fidem tantum *hi-*
storicam, nec hominem reddit bea-
 tum, quatenus per hanc non ascendi-
 tur ad ipsum Spiritus S. Testimonium
 perceptione propria in corde fidei
 sentiendum. Pulcrum utriusque hu-
 jus Testimonii extat exemplum apud
 Johannem. (a) Initio enim multi Sa-
 maritanorum credebant ob relatio-
 nem mulieris, & hæc erat fides *hi-*
stica,

O

rica,

(a) Cap. IV. vers. 39.

rica, relationi mulieris vera referentis innixa. Deinceps (a) autem credebant Samaritani ex perceptione cordis propria, & hæc erat *fides salvifica*, aut ad minimum ejus initium. Ex hac ratione sancti homines semper precati sunt Deum, in auditorum suorum gratiam, ut, postquam ipsis doctrinas de rebus supernaturalibus, quas perceptione immediata ipsi cœlitus acceperant, proposuissent, dignaretur etiam Deus addere ipsorum cognitioni, quam tradebant, *historica*, scilicet respectu auditorum, Spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius, & illuminatos oculos mentis ad sciendum, perceptione propria & salvifica, spem vocationis & opes gloriæ hæreditatis. (b)

*Cur fides
historica
neminem
beatum
reddat.*

§. VII. Hinc clare elucescit, cur fides historica neminem salvum facere possit. Ratio est, quia fides hæc
ni-

(a) Vers. 44. eod. cap. (b) Ephes. I, 15. 16. 17. 18. 19. Philip. I, 6. 9. 10. 11. Colos. I, 7. 9. II. Theff. I, 5. I. Tim. II, 7.

nititur tantum ideis ex relatione aliorum haustis, non perceptione cordis propria. Et dicere, hominem fide historica salvari posse, idem est, ac dicere, cœcum ex comprehensis memoria ideis & acceptis conceptibus de lumine per auditum recipere visum posse. Quod nemo eorum, ut opinor, affirmabit, qui videndi facultate pollent, licet fortassis inter eos, qui pariter oculis destituuntur, aliqui sibi persuaderi paterentur, ejusmodi hominem cœcum ex scriptis Opticorum de luce & coloribus prompte & peracute differentem, acuto satis visu pollere. (a) Quoniam ipsi cœci discernere nec facile intelligere possunt, quid ad visionem ipsam requiratur. Hoc enim soli videntes facere possunt. Et interim mira de lumine dicere audientes, quod ipsi facere nequunt, facile inducuntur in opinionem; ut credant differentem apud

O 2 ipsos

(a) Vid. Part. Spec. Cap. I. §. VIII. in fin. & Part. Gen. I. Cap. I. §. 3.

ipſos de luce cœcum hunc viſu eſſe præditum. Quod tamen non æque ſtatuèrent, quibus videndi & recte de viſu judicandi facultas data eſt. Idem quoque de auditu cœterisque ſenſibus judicandum eſt. (a)

(a) Conf. Matth. XIII, 11. & 9. Marc. IV, 11. 12. & 9. Luc. IIX. 8. XIV, 35.

CAPUT IV.

Quod Teſtimonium Spiritus S. internum certitudine ſuperet omnes reliquas veritates.

SUMMARIÆ.

Probatur ſumma certitudo Teſtimonii Spiritus S. §. 1.	Illustratur exemplo. §. 7.
Probatur neceſſitas operationis divinæ. §. 2.	Perceptio propria docet ſenſum revelationis aliis factæ clariffime. §. 8.
Probatur potens efficacia Teſtimonii Spiritus S. §. 3.	Perceptio propria in ſenſualibus præſtat certitudinem rationis. §. 9.
Cur pauciſſimi efficac hoc Teſtimonium Spiritus S. ſentiant. §. 4.	Teſtim. Sp. S. nemini obtrudi poteſt. §. 10.
D. Clerici ſententia notatur. §. 5.	Quod Enthufiaſmo nullus locus concedendus ſit. §. 11.
Status controverſiæ & Argumentum, cur Teſtimonium Sp. S. certius ſit ratione. §. 6.	Quod fides & revelatio hiſtorica indigeat rationis ſubſidio. §. 12.

Fi-

Fides *salvifica* non pendet ab hominum testimonio. §. 14. | De Testimonio Spiritus S. Quod Deus testetur in cor- | mediato & immediato. §. 15.

§. I.

Monimus in superioribus ^{Probatum} (a) gradus certitudinis ori- ^{summa} ^{certitu-} ^{do Testi-} ^{monii} ^{Spiritus} ^{S.} ri ex eo, quod animus ab objecto vel leviter, vel fortius, vel gravissime per contactum afficiatur. Addimus hoc loco, quod per contactum omnium validissime affici queat animus ab illo objecto, quod potens est magnisque viribus aut robore pollet. Hæc causa est, quod culex aut musca nos non tam graviter vulnerare possit, quam globus ex bombardâ aut tormento bellico corpori immissus. Jam extra dubium & in expedito omnibus est, nullum objectum tanto robore & potentia pollere, quam Deum. Quibus concessis, (negatur autem a nemine, nisi ab Atheo, aut qui intellectu destituitur,) sequitur aperta con-

O 3

se-

(a) Part. I. Gen. Cap. II. §. 4. in fine.

sequentia, quod Deus tanquam ob-
jectum potentissimum, lucidissimum,
& omnium operosissimum maxime
animos & corda nostra, si legitime
fuerint ad id disposita, possit afficere,
penetrare atque ipsis se quam clarissi-
me cognoscendum præbere. Hunc
vero perceptionis sensum de Deo re-
busque cœlestibus in corde appella-
mus Testimonium Spiritus S. inter-
num. (a) Quod proinde infinitis mo-
dis rerum omnium veritatem certitu-
dine & soliditate sua superat. Hæc
causa est, quod a sanctis hominibus,
quibus cum Deo arcta erat societas,
omnia, quæ Deus ejusque verbum
non erant, fumi evanescentis fuligo,
umbratilia, & figuræ tantum speciem
habentia appellentur, (b) quorum,
postquam post tergum reliquissent,
obliviscebantur. (c)

*Probatur
necessitas
operatio-
nis dibi-
na.*

§. II. Non solum autem ratione
al-

(a) Vid. Cap. II, §. 10. hac parte Special.

(b) Jacob IV. 14. I. Cor. VII, 31. I. Pet. I. 24. 25.

(c) Philip. III, 8. 14.

allata comprobatur, Deum efficacissime in cordibus hominum per operationes sanctas testari posse, verum etiam clarissime ostendi potest, eum velle, imo debere quodammodo in cordibus fidelium operari. Id quod argumento ex fine creationis desumpto probatur. In arbitrio enim Creatoris positum erat, num condere vellet genus humanum, nec ne, postquam autem illud produxit, atque hominum corda aptavit ad sui inhabitationem, sine qua miserrimi essent, neque unquam beatitudinis participes fieri possunt, (a) sequitur evidenter, Deum animis hominum fidelibus, ipsumque per Christum sincere desiderantibus, se subducere absque causa non posse, neque illud per bonitatem suam facere velle. Quemadmodum homini liberum est quærendi sibi sobolem ex foemina, quam tamen, postquam prognata est, abdicare sine causa de jure nequit, verum submi-

O 4 ni-

(a) Conf. Cap. I. §. 13. 14. Part. Special.

nistrare ei tenetur omnia, quæ ad honestam ejus educationem pertinent, & sine quorum ope vitam ducere felicem non potest. Huic rationi accedunt *Testimonia*, quibus Deus in sacris literis confirmat, se delectari societate hominum: (a) & Sanctorum *asseverationes* atque *exempla* idem ostendunt, quibus eadem veritas perspicue comprobatur. (b)

*Probatur
potens
efficacia
Testimo-
nii Spiri-
tus S.*

§. III. Quod si ergo Deus operari vult per sanctum suum Verbum in cordibus hominum, ad recipiendas operationes ejus se sua gratia ad hoc disponentibus vel, quod idem est, Deo non repugnantibus, necesse est, ut modo naturæ divinæ convenientissimo, in animis operetur. Modus autem Deo convenientissimus est, quo Deus vivida & efficaci ratione (c) corda nostra penetrat, atque ea ineffabili sua virtute regit, moderatur, atque Gratia divini sui Spiritus replet. Hinc est,

(a) Vid. Part. I. Gen. Cap. I. §. 17. (b) Vid. Cap. V. hac parte. (c) Per §. I.

est, quod sacrae literae divinam & potentissimam hanc operationem per sanctum suum verbum in nobis, appellent ignem & malleum, qui efficit, ut petra dissiliat : (a) gladium quovis ancipiti penetrantiolem, qui pertingit ad divisionem animae & spiritus, compagumque & medullarum, (b) & fulgur, quod tanquam lucerna nos illustrat. (c)

§. IV. His nihil ferme opponi posse videtur, quam defectus experientiae harum operationum in animis hominum. Quod si enim, inquit, Deus lux est, serenae & purae mentibus multo clarior, quam sol, ut cum *Latant in corde.* *Etantio & Munitio Felice* loquar, unde ergo accidit, quod maxima pars mortalium, nihil harum operationum in se sentiat, cum contra de lumine & efficacia radiorum solarium sint per sensum & experientiam convicti omnes? Respondendum est, quod non

O 5 omnes

(a) Jeremi. XXIII, 19. (b) Hebr. IV, 12.
(c) Luc. XI, 36.

omnes de solis aut lucis existentia sint convicti, sed omnes illi tantum, qui oculis non destituti sunt, aut somno aut vino sepulti jacent. (a) Causæ autem, cur aut nullas, aut tam raro & tam debiles operationes divinas in cordibus nostris experiamur, indicantur passim ab Apostolo Paulo. (b) Sed de his aliqua erunt expressius monenda, ubi de officio ad testimonium Spiritus S. internum manuduçi cupientium, dicendum erit infra. (c)

*Clerici
sententia nota-
tur.*

§. V. Hæc jam scribens incido in doctissimi *Clerici Opera Philosophica*, cujus, uti pereruditæ sunt meditationes, quæ in Logica sua (d) de fide prodidit, ita illud durum nimis videri jure potest, quod eodem loco (e) tradit: *Colligimus, quicquid est fidei, id sola ratione niti, cum sola ratio nos doceat, quis sit revelationis aliis factæ sensus.* Et §. 5. *Hinc videmus cum*
omnis

(a) Vid. Part. I. Gen. Cap. I. §. 5. & II.

(b) Ephes. II, I. 2. 3. II. 12. II. Cor. IV, 4. Gal. V, 16. seqq. I. Cor. I. & II. (c) Capite XI.

(d) Part. II. Cap. X. Opp. p. 125. (e) §. 10.

omnis fidei, tum etiam hujus nostrae, fundamentum unicum esse ratiocinationem. Ex quo colligere nobis licet **Testimonium rationis** sive idearum secundum D. Clerici sententiam, multo firmitus animum nostrum convincere, quam **Testimonium Spiritus S.** ex perceptione cordis propria haustum, adeoque illud huic anteponendum esse, quoniam ex **Celeberrimi Viri** sententia prius, scilicet ratiocinatio, sit fundamentum posterioris, nimirum fidei. Id quod haecenus a nobis demonstratis (a) e diametro repugnat.

§. VI. Sciendum est, hoc loco sermonem esse de *fide salvifica* & cognitione salutari, quæ ipsius Spiritus S. interno cordis **Testimonio** nititur, quod descripsimus supra (b) ejusque existentiam probavimus. (c) Jam quaeri potest, an animus hominis de veritate aliqua, in sacris literis nobis re-

Status
Contro-
versia &
argumen-
tum, cur
Testimo-
nium Spi-
ritus S.
certius
sit ratio-
ne.

reve-

(a) In primis §. I. & 2. hujus capituli & Cap. præcedent. §. 5. seqq. (b) Cap. II. §. 10. (c) Cap. II. §. 8. & 7.

revelata certior esse possit, si rationes, ideas claras nec sibi repugnantes de ista veritate mente formet? An vero firmior sit hominis cognitio, si eandem veritatem in Scripturis consignatam, Spiritus S. reipsa operetur in corde alicujus hominis pii? Nulla apparet ratio, cur posterius non sit affirmandum. *Quicquid enim in me operatur Spiritus S. gratia, de hoc, perceptione propria & sensu interno, certus sum, illudque in corde sentio & experior.* Quicquid autem ratiocinatione per Ideas tantum concipio, illud non expertus sum in me, sensu proprio, sed ab alio mihi certissima fide relatum, tantum cogitatione versor & veluti in imagine complector. Cognitionem autem & certitudinem, quæ ex ideis est, prærequiri antecedentem sensum aut animi immediatam perceptionem, in superioribus (a) ostendimus. Adeoque immediata perceptio

(a) Part. I. Gen. Cap. V. §. 5. & Part. II. Special. Cap. III. §. 4. in fin.

ceptio firmior semper erit ratiocinatione, quæ idearum ope tantum & abstractis conceptibus peragitur. Propter quod enim unum quodque est tale, illud magis est tale. Itaque si certitudo rationis ideo certa est, quia nititur ejus veritas certitudine aut afficientia sensuum aut immediata perceptione, in quod ultimo resolvitur: Ergo multo firmior erit certitudo ex perceptione propria & immediata orta. (a)

§. VII. Pace viri celeberrimi *Illustratur Exemplo.* liceat in gratiam eorum, qui tanta ingenii perspicacitate non pollent, ut rationes sine illustrationibus capere possint, uti exemplo. Sacræ literæ nobis tradunt doctrinam de gratiosa inhabitatione Spiritus S. (b) ejusque illuminatione. (c) Jam vellem me doceat quisquam, utrum is de sensu harum rerum, de inhabitatione Spiritus

(a) Add. infr. §. 9. hoc Capite. (b) Joh. XIV, 21. 23. II. Cor. VI, 16. - (c) II. Cor. III, 18. II. Cor. VI, 16. Ephes. V. 13. 14. Luc. XI, 36.

ritus S. deque divina illuminatione certior sit, atque eas clarius intelligat, qui hæc verba legit, meditatur & de iis tantum per ideas ratiocinatur; an vero is, cui Deus hanc gratiam facit, ut, cum pia lectione & meditatione hæc de inhabitatione Spiritus S. deque illuminatione versatur, insimul re ipsa in corde ipsius operetur, suumque lumen divinum ipsi concedat, ut sensu proprio experiret sanctissimam ejus inhabitationem atque lucem gratiosam. Id quod Deum facere posse probavimus, (a) & quod idem facere velit, imo quodammodo non aliter possit, (b) confirmavimus. Existimarem equidem, neminem facile futurum, quin affirmet, istum, qui divinam illuminationem ejusque inhabitationem in se fuerit expertus, multo clarius de hac ipsa loqui posse, atque multo certius de ejus existentia & indole

con-

(a) Part. II. Special. Cap. II. §. 5. & 7. (b) Cap. IV. §. 2. & 3. coll. Cap. I. §. 6. seqq.

convictum in animo esse, quam illum, qui sterilem tantum ideam aut conceptum ex alterius relatione de hac re cogitatione fovet. (a)

§. VIII. Hinc apparet non omnino admittendum esse pronunciatum a Dn. Clerico §. 5. adductum: *quicquid est fidei, ratione niti, cum sola ratio nos doceat, quis sit revelationis aliis facta sensus, & omnis fidei fundamentum unicum esse ratiocinationem.* Imo vero perceptio cordis propria est potius fundamentum rectæ ratiocinationis, & huic unico fundamento nititur omnis de rebus sacris certa ratiocinatio. (b) Quomodo enim sancti homines, qui nos in sacris literis de rebus divinis, sibi perceptione propria cognitis, instruxerunt, de regeneratione, sanctificatione, illuminatione, unione divina, cæterisque mysteriis prodere quicquam solide potuissent, si ipsi carnales, profani, cæci & terrestri-

(a) Add. Cap. III. §. 5. & 6. & Cap. I. §. 8. Part. II. Special. (b) Per Part. I. Gen. Cap. V. §. 5.

sibus dediti, id est, perceptione rerum divinarum propria destituti fuissent? Nobis autem cum idem cor sit, idem Deus, eadem perceptionis necessitas ad certitudinem salutis, eademque promissio, (a) quoad operationes divinas, mediante verbo divino, in animis nostris a Spiritu S. perficiendas, nulla causa est, cur perceptionem cordis propriam ratiocinationi abstractæ, & quæ res ipsas non intelligere, nisi per ideas tantum potest, (b) postponere debeamus.

Perceptio propria in sensuibus præstat certitudinem rationis.

§. IX. Neque enim quod sensus perceptio immediata & propria, quæ sensuum ope peragitur, certitudine cedit ratiocinationi, imo ipsi superior est. Fingam enim me inter tenebras confidentem, hætenus perpetuo ignorasse, an & quid lux atque sol sit, nescire me quoque an oculis & videndi facultate sim instructus. Jam si Opticorum doctissimus quisquam,

ve-

(a) Vid. Part. Spec. Cap. II. & III. (b) Part. Gen. Cap. I. §. 16. Cap. V. §. 2. & 5.

veriora docere me inter tenebras hactenus versantem voluerit, nimirum quod & sol lumen videntibus fundat, & quod videndi facultate aut oculis polleam, quod utrumque ignorabam, quæ convincendi ratio errantem erit major? An ea, quæ per ratiocinationes, ex Cartesii Dioptrica, principiis physicis & lucis natura desumitur? An vero hæc, si expectare me auro-ram & lucem ipsam, atque oculos meos aperire jusserit, ut experiendo sentiam lucem existere, & monstret, visu me certio-rem de obscure intel-lectis reddi posse. Puto omnino posteriorem demonstrandi modum, propter certitudinem suam ex perceptione propria per sensus ortam, præferendam esse, utpote sine qua ne quidem ullus unquam ratiocinari de lucis & oculi natura potuisset. Non dissimilis est certitudinem ex Testi- monio Spiritus S. accipiendi ratio. Deus est objectum reale, quod sensu cordis percipi potest. Cor & voluntas

P

no-

nostra & intellectus noster capax est, objectum hoc expetitur, tanquam summam beatitudinem suam in se sentiendi, (a) quæ ex perceptione cordis propria & testificatione Spiritus Sancti oritur. Igitur nulla erit major certitudo, quam quæ ex conjunctione hac cordis nostri cum DEO exsurgit. Certitudo autem, quæ per ratiocinationem colligitur, licet valde esse possit probabilis, (b) cum hac tamen, quæ ex sensu proprio oritur, non comparari, ne dum huic anteponi poterit.

Testimonium Spiritus S. nemini obrundi potest.

§. X. Neque difficilis admodum hac in re apparet Dn. CLERICUS, cum (c) ait: *At iis* (nimirum qui Testimonium Spiritus S. in se perceptione propria habent,) *licet sibi ipsis gratulari.* Nec abs re id facere possunt, comprobante id ipsum diserte Esaia (d) Davide (e) Petro (f) imo ipso Chri-

(a) Vid. Cap. II. & III. hac Part. Spec. (b) Pet. Cap. III. §. 5. Part. II. (c) 1. c. §. 5. (d) Cap. LXI, 10. 11. Cap. IX, 2. 3. (e) Ps. XVI, 11. XVII, 15. (f) II. Ep. I, 4.

Christo (a) Subjungit autem, *sed quoniam sui ενθουσιασµὸς nulla afferunt argumenta, de eo dubitare aliis licitum sit, oportet.* Argumenta, opinor, a nobis allata sunt in præcedentibus. Sed interim omnino libertas dubitandi iis, qui divinam in corde gratiam non sunt experti, concedi debet, modo patientur cæteros secure suo bono, ex Testimonio Spiritus S. in cordibus fidelium orto, per ipsos frui sine obrectatione, irrisione aut opprobrio: quemadmodum ipsis licet in sua, si velint, rationis certitudine, quamvis ex errore orta & cum ipsorum damno conjuncta unice acquiescere. Jure etiam reprobatur *Enthusiasmus*, qui nulla status sui argumenta allegare novit, & interim tamen alteri suum Enthusiasmum sine ratione persuadere, aut quod absurdus est, obtrudere laborat. Quod vero Enthusiasmi nomine verum testimonium Spiritus S. (Fanaticismum

P 2

enim

(a) Joh. XIV, 26. XV, 26.

enim ipsimet refutavimus (a)) ejusque gratia, quam cordibus fidelium Deus benigne dispensat, notatur, istud speciem habet *argumenti Theologici ab invidia ducti, & quidem ex classe secunda*, ubi res bonæ invidiosis nominibus notantur, quibus plebs & rudiores moventur, de quo ex professo Cl. Clericus in ingeniosa dissertatione sua de hoc argumento (b) videri potest.

*Quod En-
thusiasmo
nullus lo-
cus con-
cedendus
sit.*

§. XI. Cœterum si ea D. Clerico mens est, quod nullum admittere Enthusiasmum, aut potius operationem divinam in corde conveniat a quoquam, nisi prius rationibus ostendatur, eum esse verum & nihil continere, quod rationi rectæ repugnet, nihil omnino est quod desiderari hac in re possit. Imo Religioni Christianæ magnopere interest, ne unquam Enthusiasmus aut Fanaticismus invalescat, qui fidem divinam temerare &

ra-

(a) Part. I. Cap. III. §. 13. & alibi. (b) §. 5. Opp. p. 286.

rationem destruere tentet. (a) Ne credere sine ratione jubeamur, falsa esse prima principia, nec totum majus esse sua parte, nec æqualia æqualibus addita esse æqualia. Quod fidem a ratione exigere posse, tradit doctus alias Huetius. (b) Quo admisso, non difficile foret, contradictoria loco sanctæ veritatis, & summam superstitionem pro Religione universis obtrudere.

§. XII. Neque etiam illud negari debet, revelationem, quoad alios indigere rationis subsidio, si *revelationis historiam*, quæ cum aliis communiciari debet, intelligas, sed ex hac revelationis historia gignetur tantum fides historica, nisi confirmatio a Spiritus S. Testimonio interno accesserit, quod satis liquere arbitrator, ex superioribus. (c) Quemad-

Quod fides & revelatio historica indigeat rationis subsidio.

P 3 mo-

(a) Part. Gen. Cap. III. §. 13. & Cap. II. §. 14. Part. Spec. Cap. I. §. 1. (b) In Concordia Rationis & fidei l. I. c. 4. §. 3. (c) Vid. Part. hujus Spec. Cap. III. §. 6. 7.

modum si naturam luminis ejusque historiam cum cæco communicare placeret, necessum certe foret, ut rationis beneficio illud fieret. Verum hæc cognitio historica de luce, cæco visum nequaquam restitueret, nisi fanis apertisque oculis ipse lucem deinceps hauriret. (a) Nobis autem, uti initio §. 6. monitum est, quæstio præcipue erat de fide & cognitione salutari, an isthæc nimirum ratione ita indigeat, ut summum fundamentum & certitudinem ab ejus ope fides salvifica accipiat, & sine hac nullo modo firma consistere possit. Id quod argumento eodem §. 6. allato, exemplorumque §. 7. 8. 9. allatorum evidentia negatum est.

Fides salvifica non pendet ex hominum Testimonio. §. XIII. Quemadmodum & illud concedi in universum nequit, quod (b) dicitur, *hodie quicquid est fidei inter Christianos, pendet ex hominum Testimonio*, si hoc intelligere velis de fide

(a) Add. si lubet Cap. III. §. 2. Part. II. seqq.

(b) Opp. Phil. p. 126. §. 4.

fide salutari, quæ nos Deo gratos acceptosque reddit. Hæc enim fides ingeneratur pectori mediante Verbo per gratiam divinam, quæ supra (a) explicata est, & obsignatur per Testimonium Spiritus S. de quo itidem supra (b) egimus. Ad utrumque vero hominum Testimonium nisi ministerialiter, nihil confert. Quoniam Testimonium Spiritus S. ejusque gratia sola perceptione propria intelligitur, nec cum altero plus communicari potest per hominis Testimonium, quam radii solares per Testimonium alterius de luce oculis cæci exhiberi queunt. (c) Hominum enim Testimonium tantum circa fidei aut revelationis *historiam* versatur, cui nisi accesserit interna Spiritus S. confirmatio in corde, ista equidem nihil faciet ad salutem homini conciliandam, (d) quod tamen

P 4

præ-

(a) Cap. I. §. 7. Part. II. (b) Cap. II. §. 7. & 10. (c) Vid. Cap. III. §. 2. & 4. Part. II. (d) Jac. II, 19.

præcipuum fidei salvificæ munus est.

§. XIV. Nec magnopere juvat *D. Clerici* sententiam ratio, quam indicare videtur, (a) quod Deus non amplius immediate alloquatur homines, quemadmodum Prophetas, qui terris jam erepti sunt, adeoque nihil amplius superesse, quam ut confugiamus ad rationis certitudinem, qua fidem nostram corroboremus. Licet enim Deus non amplius fideles immediate alloquatur, uti Prophetas; in eorum tamen cordibus Testimonio Spiritus sui & per lumen Gratia suæ, quod Verbo suo conjunctum est, operatur, & ipsis divina sua virtute confirmat intus & in pectore, quod hæc res aut hæc Scriptura, quam legunt vel audiunt, fuerit olim se inspirante profecta, atque ea contineat, quæ ad credendum & vitam pie agendam scitu sunt necessaria.

*De Testi-
monio*

§. XV. Sed dixeris fortassis, omnia hæc

(a) l. c. §. 5.

hæc non contingere amplius imme- Sp. S. im-
 diate, sed per medium, ope nimirum mediato
 rationis, adeoque identidem sequi, & media,
 fidem ratione niti. Enim vero scire
 convenit, quod terminus mediate a
 Theologis usurpatus, oppositus præ-
 cipue sit *Fanaticis, Entbustias* atque
 iis, qui verbi externi usum & Scriptu-
 ram S. plane rejiciebant, suisque ne-
 scio quibus, revelationibus & somni-
 is unice inhærebant, quantumvis hæc
 & Scripturæ & sanæ rationi repugna-
 rent. (a) Adeoque sensus vocis *me-*
diate hic est, quod Deus in cordibus
 nostris testetur de veritate per Scri-
 pturam, sive mediante Verbo suo san-
 cto. Minime autem illud voluerunt,
 quasi divina operatio in cordibus fi-
 delium non possit sentiri, nisi per ra-
 tionem. Hanc enim identidem sub
 obsequium fidei cœlestis redigendam
 esse confirmant. (b) *Concedunt au-*
 tem

P 5

(a) Conf. Pars I. Cap. II. §. 14. & Pars II. Cap. I.
 §. 1. (b) Ex II. Cor. X, 5. I. Cor. I, 19. 20.
 videtur etiam I. Cor. II, 14-16.

tem, imo vel maxime urgent, contra Pelagianos, Durandum aliosque, quod illuminatio a Deo, tanquam causa principali & Verbo externo Scripturae, tanquam causa instrumentali aequae immediate procedat & Deum in ordine ad actiones hominum spirituales & supernaturales, habita ratione illius universalis concursus, concurrere immediate. Quæ verba sunt celebris, dum viveret, Theologi, *Joh. Guil. Bajeri.* (a) Quam docti Theologi & Præceptoris olim nostri sententiam tanto libentius adduxi, quod eo loco accurate admodum de statu controversiæ cum Quackeris & de sensu vocis *immediate* (b) traditur, ac demonstrantur, vocem *immediate* non simpliciter a Theologis rejici.

- (a) *Synopses & Examinis Theologiæ Enthusiastarum seu Quackerorum Diff. III. §. 7. & 8. p. 114. 115.* qua suam Rob. Barclajō oppositam ab exceptionibus G. Keithii vindicat. (b) *Cap. III. l. c. p. 109. seq.*

CAPUT V.

Quod ad affirmandum aliquid de Testimonio Spiritus S. nemo cogi possit; suasionibus autem, rationibus & exemplo doceri, ut ejus veritatem admittat.

SUMMARI A.

Divisio capitis. §. 1.

I) *Quod ad affirmandum Sp. S. Test. nemo cogi possit.*

Probatur, quod nemo cogi possit ad Test. Sp. S. §. 2.

Probatur alio argumento eadem veritas. §. 3.

II) *Quod rationibus, suasionibus & exemplo probabile reddi possit ignavis Test. Sp. S.*

Ratio, quæ ignoranti Testimonium Spiritus S. persuadet. §. 4.

Suasiones, quæ ignoranti Testim. Sp. S. probabile faciunt. §. 5.

Exempla & promissiones, quæ Testim. Spiritus S. probabile reddunt. §. 6.

§. I.

Duo nobis comprobanda sunt rationibus. Horum *primum* est, quod nemo ad affirmandum aliquid de Testimonio Spiritus S. cogi possit §. 2. *ad. 4. secundum*, quod suasionibus, rationibus & exemplis probabile aliis redd-

Divisio capitis.

reddi possit Testimonium Spiritus S.

§. 4. *ad finem.*

I) *Quod ad affirmandum Spiritus S.
Testimonium nemo cogi
possit.*

*Proba-
tur, quod
nemo co-
gi possit
ad Testi-
monium
Sp. S.*

§. II. Natura notum est, quod nemo ad rem impossibilem cogi possit. Est autem res impossibilis, si cogaris affirmare rem aliquam certo existere, aut hanc rem ita comparatam esse, uti alter affirmat, quam tamen existere plane ignoras, & quæ ne fando tibi quidem innotuit. Ita enim adigeris committere stultitiam aut malitiam. Stultitiam, dum tibi imaginariis rem nosse, quam ignoras: malitiam, dum persuadere studes aliis rem, de qua ipse non es persuasus. Supra (a) autem demonstratum est, Spiritus S. Testimonium, ejusque firmam certitudinem niti sola perceptione cordis propria, & ad alium, qui ista perceptione destituitur, non extendi; ostensum contra est, ignorare ejus-

(a) Cap. III. §. 2. & 4. Part. II.

ejusmodi hominem, an certo detur Testimonium hoc Spiritus, utut interim idem existentiam ejus neque negare possit. His ad liquidum deductis, sequitur, si quis aliquem ignorantem Testimonium Spiritus S. & qui perceptione propria destituitur, (destituuntur autem hac perceptione omnes homines in statu naturæ, uti sunt sensuales & rationales sibi relictæ) vi cogere velis ad affirmandam Testimonii Spiritus S. existentiam, quod ex hoc homine facere velis aut *stultum*, qui sibi imaginetur scire, quæ nescit; aut *matiosum*, (cujus species est hypocrisis sacra) qui persuadeat aliis se ita sentire, & de eo convictum esse, qui nihil minus, quam hoc sentit, aut de eo convictus est. Utrumque autem facere conari, manifeste absurdum est. Ideoque ignorans docendus est argumentis, non cogendus.

§. III. Eadem veritas etiam hoc *Probatur*
ar- *alio ar-*

gumento
eadem
seritas.

argumento probari potest. Ad Religionem neminem cogendum esse supra demonstratum est. (a) Testimonium Spiritus S. autem est summa Religio, imo fundamentum & fons omnis veræ Religionis. (b) Quapropter nemo ad eam vi adigi aut cogi poterit. Adeoque si quis alterum coactione quadam ad Testimonium hoc divinum adducere ausus fuerit, is ambitionem suam, & quod differentiam status naturæ & Gratiæ, imperii & Religionis ignoret, satis manifeste intelligentibus prodet & apriabitur.

II) *Quod rationibus, suasionibus & exemplo ignavis probabile reddi possit Testimonium Spiritus Sancti.*

Ratio,
qua igno-
rante Te-
stimoni-
um hoc
sanctum
persua-
det.

§. IV. Monitum a nobis §. 2. præcedente est, hominem in statu naturæ, id est, sensibus & rationi sibi relictæ obedientem plane ignorare, quid sit Te-

(a) Part. I. Cap. VII. §. 6. Part. II. Cap. I. §. 23, 28. (b) Part. II. Cap. II. §. 8. & 9.

Testimonium Spiritus S. Ejusmodi si quid de isto affirmaverit ob imperitiam suam, inepte agit. Sed idem si negarit, nullum apud alios existere hujus sancti Testimonii vestigium, nimis præcipitanter & inconsiderate faciet. Ergo ignorans in dubio suspensus relinquet omnia, nihil negans, nihil affirmans de re hæcenus sibi incognita, donec ipsi rationes, suasiones aut exempla afferantur, quæ rem hanc ignotam ipsi probabilem reddant. Atque hoc est, quod in præsentem nobis faciendum incumbit. Ex rationibus & argumentis, quæ ignorantem Testimonium Spiritus S. ab aliis perceptum ita probabile reddere possunt, ut nihil solidi in contrarium opponi possit, illa nobis præcipua visa est, quam supra (a) jam adduximus. Nimirum si Deus est ens reale, vivum, operans, lucidum &c. cor autem & anima nostra est ens perceptione pollens, natura appetens

hoc

(a) Part. II. Cap. II. §. 5.

hoc ens beatum, lucidum, & quod similitudinem aliquam cum anima ex creationis beneficio habet: non apparet, cur Deus animæ hanc Gratiam non facere *possit*, ut in ea operetur, & ipsi se cognoscendum præbeat. Nulla etiam obstat causa, cur Ens *benignissimum & bonitate plenissimum non velit* se dispensare animæ fideliter eum desideranti, ejusque voluntati, quantum potest, obsequenti, & hoc ex duplici ratione. *Primo* enim Deus se animæ potest communicare sine ullo suo detrimento, imo potius cum accessione suæ Gloriæ. Celebrabitur enim ab anima, quam sua benignissima Gratia tranquillam reddere dignatus est, & quam ab inquietudine liberavit. Ipsi vero ex hoc beneficio nihil decedet hac sui communicatione. *Secundo* anima a Deo in hunc finem creata est, ut societatem cum Ente nobilissimo habeat. Quod inde constat, quia cor in nulla re visibili aut rationali beatitudinem perfectam invenit, **sed**

sed jactata per omnia & dura esse atque imperfecta omnia, ut cum *Augustino* loquar, deprehendit, & in nulla re se perfecte conquiescere posse experiendo sensit. Si autem cor & anima creata est ad commercium cum Deo habendum, Deus, si eam nutui suo, quantum potest, obsequentem abdicare vellet, sequeretur aut Deum fore injustum, aut minus bonum homine, qui obtestantem aliquem, ut sibi faveat in summo negotio salutis suæ, repellere non potest sine crudelitatis nota. Utrumque ideæ, quam de ente perfectissimo habet homo ratione utens, repugnat. Ergo Deus se cordi ad illud se disponenti communicabit, hoc autem est, quod Spiritus S. Testimonium appellatur. (a) Neque obstare justitia divina potest, quominus se cordi pio & fideli communicet Deus. Scimus enim ex Sacramentorum Literarum revelatione, quod Redemptor noster Christus *se medium*

Q

con-

(a) Vid. Cap. II. §. 10.

constituerit per redemptionem in ipso factam, (a) & quod ἱλαστήριον sive placamentum a Deo constitutus sit, per fidem in sanguine istius, ut per ipsum tuto ad Deum accedere possimus. (b) Plures in præsentia rationes afferre ob brevitatis studium superfedemus.

Suasiones, quæ ignorantibus hoc Testimoni-um probabile faciunt.

§. V. Suasiones item morales quam plures in favorem hujus Testimonii afferri possunt. Una aut altera nobis sufficiet. Parens liberis obedientibus libenter voluntatem suam indicat, eosque de amore erga ipsos suo certos reddit. Cur Deum imitem magis parente credemus, qui cordi obsequentissimo ipsiusque gratiam imploranti negaret, quod severissimus hominum indulget? Magistratus aspectu & alloquio dignatur subditos fidos, & ex nutu ipsius obtemperantes, ipsisque bonam voluntatem suam voce & opere confirmat. Indulgentissimum vero Numen corda sibi fidentium sine confirmatione suæ

(a) Rom. III, 24. 25. (b) I. Tim. II, 4. 6.

suæ Gratiæ relinqueret, ut viveré anxii & incerti, mori autem inter fummas de salute sua post hanc vitam. fluctuationes veluti languentes & desperabundi cogerentur? Absit, ut ne quid benignius de Parente nostro, de animarum nostrarum auctore, (a) atque de ejus providentia & mansuetudine speremus, quam hanc incertitudinem. Certitudo autem firma nobis obtingere non potest, nisi Testimonio per S. ipsius Spiritum cordibus nostris reddito.

§. VI. His accedunt exempla sanctorum hominum, qui ipsi istud Testimonium in se expertos fuisse confirmant. Fuerunt autem viri, qui nullum inde emolumentum sperare potuerunt, ut nobis futilia & inania persuaderent. Vixerunt vitam miseram, simplicem, atque liberum nobis reliquerunt sequi ipsorum doctrinas & vitæ institutum, id quod magnum veri doctoris documen-

*Exempla
& promissiones
Testimonium hoc
probabile
reddentia.*

Q 2

tum

(a) Hebr. XII, 9.

tum est. (a) Affirmarunt autem nos ipsos illud experturos perceptione propria, si sequi ipsorum vestigia vellemus, Deumque precati sunt, ut illud auditoribus suis contingeret, cum ipsi illud ipsis dare non valerent. (b) Christus etiam omnesque sancti Deo amicissimi relinquerunt nobis promissiones, quod Deus nobis Gratiam hujus Testimonii & copiam sanctarum operationum suarum in corde se diligentium facere velit per S. suum Spiritum. De qua re plena sunt Novi foederis scripta, quæ neminem nisi profanum & salutis suæ incuriosum latere possunt. (c)

(a) Vid. Pars I. Cap. V. §. 8. (b) Vid. Pars II. Cap. III. §. 6. (c) Vid. Pars II. Cap. II. §. 4. 7. 10.



CAPUT VI.

Quid Testimonium Spiritus S. præcipue doceat, & ad quem finem nobis imprimis detur.

SUMMARIA.

Divisio Capitis. §. 1.

I) Quid Testimonium Spiritus S. præcipue doceat.

Probatur, quod Test. Sp. S. Supernaturalia tantum doceat.

Paraphrasis dicti 1. Tim. VI. 3. 4. §. 2.

Aliud argumentum, quod Spiritus S. tantum spiritualia doceat. §. 3.

Cur doceatur, quid ad Testim. Sp. S. pertineat. §. 4.

Quid inter initia Regenerationis Testim. Sp. S. doceat. §. 5.

Quid in Regenerationis progressu Test. Sp. S. doceat. §. 6.

Summa Test. S. S. est Amor §. I.

divinus & pax animi. §. 7.

II) Ad quem finem homini pro Test. Sp. S. internum concedatur.

Quod Testimonium Spiritus S. tantum ad animi pacem & beatitudinem homini detur. §. 8.

Probatur alio argumento, quod testimonium Sp. S. se non extendat ultra cordis sensum. §. 9.

Quod ea, quæ ex Testimonio Spiritus S. in corde percipiuntur, ideis explicari non possint, quemadmodum sentiuntur. §. 10.

Usus hujus doctrinæ. §. 11.



Explicandi hoc capite sunt *Divisio capitis.* duo articuli, quorum *pri-*mus est, quid sit illud, quod Spiritus S. Testimonium internum præcipue doceat, ne illud cum aliis rebus & Doctrinis naturalibus confundatur §. 2. ad 8. *secundus*

Q 3

est, ad quem finem homini Christiano Testimonium hoc sanctum detur, ne nimium extendatur ad res huic Testimonio non subjectas, aut ne vis hujus Testimonii nimium imminuatur, tanquam cui soli in rebus fidei inniti non liceat. §. 8. *ad finem.*

I) *Quid Testimonium Spiritus S. precipue doceat.*

§. II. Demonstravimus supra, (a) *cor* hominis sive facultatem illam animi *spiritualem* destinatum esse a Deo hominique datam ad percipiendam per eum objecta divina & pure spiritualia, uti sunt Deus, ejus Gratia, lumen, inhabitatio &c. (b) Ostensum etiam est, facultatem hanc, quam termino artis *spiritualem* appellavimus, (c) differre a percipiendi facultate sensuali & rationali. Monitum tandem a nobis (d) facultatum harum confusionem originem esse omnis erroris. Si ergo *cor hominis* solis objectis super-

Probatur, quod hoc Testimonium supernaturalia tantum doceat. Paraphrasis disti I. Tim. VI. 3. 4. 5.

(a) Part. I. Cap. I. §. 17. (b) Conf. Pars II. Cap. I. §. 6-10. (c) Part. I. C. I. §. 13. (d) Part. I. Cap. III. §. 19. seqq.

pernaturalibus & divinis destinatum est, & a Deo hoc fine datum: (a) sequitur inde, quod *cor* hominis sive illa divina percipiendi facultas in anima humana nihil aliud percipere possit, & ex voluntate Dei creatoris sui nihil aliud percipere debeat, quam *solum Deum, ejusque Gratia supracœlestis influxum tantum*. Itaque Testimonium Spiritus S. internum directe & per se, non docebit res ad facultatem animi rationalem & sensualem pertinentes: quemadmodum oculus non docet sonum neque tactum; sed tantum docet, quid sint radii solares, & quomodo per hos videndi facultas afficiatur. Contra tactus aut gustus docet objecta, quæ tactu aut gustu percipiuntur, ad lumen autem & sonum se non extendit. Itaque qui facultates istas aut varios percipiendi modos miscent, aut objecta cuique facultati destinata inter se confundunt, appellantur in S. *Scriptura* homines mente corrupti,

Q 4

in-

(a) Per Part. I. Cap. I. §. 13. 14. 17.

inflati, nihil scientes, & insanientes circa quæstiones & pugnas de verbis. (a) Hunc enim sensum esse verborum apparet ab Apostolo allatorum: *Si quis diversam docet doctrinam,* (quæ nimirum a me ex Testimonio & immediato lumine Spiritus S. hausta, & in corde perceptione propria cognita est, quod vera sit) *neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi,* (quos Deus in corde fidelis hominis per verbum suum ad salutem animæ loquitur,) *& ei, quæ secundum pietatem est, doctrina,* (quæ sola docet, quomodo in rebus spiritualibus, internis & supracælestibus anima Deo placere possit, & per hanc pietatem ipsi conjungi, ut animam tranquillam habere & beatitudinis se esse participem sciat) *is inflatus est* (plus sapere se putat, quam re vera sapit) *nihil sciens,* (In rebus spiritualibus obscurans Gratiam commiscendo ideas naturales & rationem cum divinis, in naturalibus nihil scire potest, quia do-

ctri-

(a) I. Tim. VI, 3-5.

& trina hæc de pietate ad naturalia ad-
 discenda non data est ipsi.) *sed insa-*
niens circa quæstiones ac pugnas de ver-
bis, (qui, uti homines Scholastici, ni-
 mium acuti, interim tamen confusi
 quæstiones Theologicas ex ratione, &
 res rationi subjectas ex Theologiæ
 principiis definire audent, mox tamen
 hæsitantes & in hanc illamque par-
 tem impingentes, cum se aliter expe-
 dire non possint, clamores & inanes
 pugnas cientes) *ex quibus nascitur in-*
vidia, (dum meliori & distincta rerum
 intelligentia præditos ferre nequeunt)
lis maledicentia, (qua obruere & in in-
 vidiam adducere laborant rectiora
 docentem, ne ab ipso de errore com-
 misso convincantur) *suspiciones mala.*
 (quasi veriora docens tantum errantis
 ignominiam & suum commodum at-
 que existimationem quærat.) *Perver-*
sa excercitationes hominum mente cor-
ruptorum, (qui, audientes Spiritum S.
 ducturum suos in omnem veritatem,
 perperam & depravato rationis judi-
 cio colligunt, artes civiles, uti calcea-

riam, mechanicas, linguas & reliquas ad vitæ temporalis usum scientias necessarias interna inspiratione contingere. Vel legentes in scriptura, ne simus hominum servi, omnem Magistratum Deo repugnare pronuntiant, similiaque plurima mentis corruptæ effata) *qui privati sunt veritate*, (ea nimirum, quæ ad quamlibet percipiendi facultatem hominis sigillatim cognoscendam, & quid ad quamcunque distincte definiendam pertineat;) *Et questui habent pietatem*. (Cum vident se confusa scientia sua neminem in vera pietate solide instruere posse, ne gratis Theologicam scientiam jactasse videantur, pietatem profitentur, ut lucrum inde petant ad vitam hanc commode transigendam, licet illis, a quibus pretium pietatis & doctrinæ exigunt, nihil in spiritualibus profint.)

*Aliud argu-
mentum, quod
tantum
spiritua-
lia doce-*

§. III. Quod Testimonium Spiritus S. internum nihil amplius doceat, quam mera spiritualia, & hominem tantum instruat ad societatem cum Deo interne habendam, per rerum di-

vinarum & supernaturalium: cogni-^{at Testi-}
 tionem, non autem directe se exten-^{monium}
 dat ad res rationi & sensibus subjectas, S.^{Spiritus}
 hoc est, quomodo ratiocinari, ideas or-
 dinare, sanitatem conservare, iter pru-
 denter instituere similiaque oporteat,
 probatur etiam hoc argumento. Te-
 stimonium Spiritus S. tantum perce-
 ptione propria sentiri potest, (a) hoc
 est, nemo certus esse potest, quod de-
 tur Testimonium Spiritus S. nisi illud
 ipse in se experiatur. Jam vero si Te-
 stimonium sanctum hoc extenderet
 se ad rationem hominis, posset illud
 communicari cum altero, licet hic il-
 lud in se non perciperet. Quæ enim
 rationi subjecta sunt, illa alteri liquido
 demonstrari possunt, ut illud clarissi-
 me intelligat, licet is, cui res demon-
 stratur, nunquã rem, quæ ipsi demon-
 stratur, viderit aut expertus fuerit. V.g.
 notum est principium, æqualibus si æ-
 qualia addas, totum erit æquale: ex hoc
 aliquis alteri, vel etiam sibi ipsi, de-
 monstrare potest, numerum æqualem
 in-

(a) Part. II. Cap. III. §. 2. seq.

infinītū, si alii numero æquali infinito addatur, processuram inde summam infinitam æqualem, licet nemo infinitam summam viderit æqualem aut expertus fuerit sensibus, nec experiri possit, tunc enim summa infinita non amplius esset infinita, quia sensibus comprehenderetur. Jam, ut argumentationem ad institutū nostrum applicemus, demonstratum est, (a) quod Testimonium Sp. S. tantum perceptione propria sentiatur, cum altero autem re ipsa communicari non possit. Hinc sequitur, quod hoc Testimonium in se spectatum ad rationem non extendatur, sed in facultate illa spirituali sive corde hominis fidelis, (b) & in perceptione Dei rerum divinarum unice terminetur. Nam si ad rationis facultatem pertineret, aliis, qui hoc Testimonium non experiuntur, præstari aut communicari posset, id quod secus est. (c)

Cur doceatur,

§. IV. Postquam itaque ostensum est,

(a) Part. II. Cap. III. (b) Vid. Pars I. C. I. §. 17. 14.
(c) Vid. Pars II. Cap. III. §. 4. Cap. V. & VI.

est, Testimonium Spiritus S. circa nul- ^{quid ad}
 las res alias versari, quam tantum circa ^{Testimo-}
 supernaturalia, ita quidem, ut operatio ^{nium Sp.}
 hujus sancti Testimonii ad rationem ^{S. perti-}
 & sensus atque res eo pertinentes non ^{neat.}
 pertingat, quemadmodum neq; ratio
 sola ad supernaturali a sese extendit:
 jam in specie breviter indicandum est,
 quid sit illud, quod Spiritus S. per sa-
 cras operationes suas cor hominis fi-
 delis doceat aut attestetur. Licet enim
 ille, qui norit, quid de rebus divinis
 cor hominis a Deo recipere possit, si-
 mul omnia particularia discernere
 queat, quæ eo & non ad aliud perti-
 nent, quemadmodum qui novit, quid
 sit oculus & lux, simul omnia objecta
 novit, quæ videri oculo possunt aut ad
 videndi facultatem pertinent, & re-
 movere scit alia objecta ad tactum &
 auditum pertinentia; tamen quia pau-
 cissimis hoc accurate innotescit, præ-
 terea valde sublimis est hæc cognitio;
 ideo nos quædam particularia aut spe-
 cialia commemorabimus, quæ ex Te-
 stimonio Spiritus S. divino in corde
 hominis pii percipiuntur. §. V.

Quid inter initia regenerationis Testim. Sp. S. doceat.

§. V. Argumenti hujus amplitudo justum volumen efflagitaret, si plena tractatio materiæ adjungenda esset; verū nobis, pro præsentī instituto intra primas lineas subsistendum est. Cor hominis considerari debet, vel *inter initia* regenerationis, vel quatenus jam *progressus fecit* in regenerationis opere. Pro cujusque igitur statu diversa Testimonii Spiritus S. est ratio. Nobis aliqua notasse sufficiat. *Inter initia* regenerationis aut conversionis divinum hoc Spiritus S. Testimonium cordi hominis obedienti testatur, I. quod nihil in anima hominis deprehendatur, quod Deo placere ejusque Gratiā mereri possit. Id quod cordi hominis ex eo innotescit, quoniam proprio sensu experitur perfectionem & puritatem divinam, ad quam regulam se parans, se undiquaque fœda labe coinquinatum videt, quod antea vel penitus ignoraverat, vel leviter tantum cognitum habebat. (a) II. Testatur deinde de impotentia omnium ani-

(a) Conf. Part. I. Cap. I. §. 3. 4.

animæ facultatum, quarum ope ex misero suo & infelici statu ad divina emergere penitus nequit. Ratio hæc est, quia si anima viribus suis se eripere posset ex peccati sui & impotentia naturalis miseria, profecto illico se expediret, frustra autem omnem conatum experitur, contuens divinitatis Majestatem & infinitam foeditatis suæ a perfectionibus divinis distantiam. III. Testatur, hoc Spiritus S. Testimonium a nemine, nisi a sola divinæ Gratia bonitate ipsi auxilium venire posse. Hoc enim sequitur ex numero antecedente secundo, IV. Testatur, renuntiandum voluntati nostræ, eamque in solidum divino nutui committendam esse, si cor sanari voluerit. Hoc enim sequitur ex 2. n. V. Testatur Deum solum nosse, quænam remedia ad salutem animæ conducant. Hoc sequitur ex 4to n. VI. Testatur, licet dura quædam remedia ad sanandam animam a Deo imponantur, eorum tamen severitatem non ex præsentis malo, sed futura utilitate, quam Deus

jam

jam habet præcognitam, æstimanda, adeoq; æquabiliter omnia, etiam acerbissima esse ferenda. VII. Testatur, duram istam sortem non fore perpetuam, sed pro rei ratione diminuentam. Est enim tantum remedium contra morbum, quod recuperata sanitate cessat. VIII. Testatur fidem interim malis urgentibus adhibendam esse divinæ bonitati, quæ nec plus nec minus nobis, tanquam sapientissimus medicus accidere permittit, quam utile est & ad sanandum animum conducit. Hæc pluraque alia, quæ commemore nimis prolixum foret, satis manifeste cordi hominis per Testimonium hoc S. Spiritus internum innotescunt, ut ea omnia sensu proprio vera percipiat. Verum quoniam inter initia fides & operationes divinæ sunt imbecilliores, hinc status hic cum timore conjunctus est, & amor, qui timori quidem adjunctus est, persæpe superior apparet. Hinc ab aliquibus hic *status sub lege* appellari solet, de quo in præsenti disputare nostrum non est.

S. VI.

§. VI. In regenerationis porro pro- *Quid in*
gressu. I.) testatur, pias animas ipsas *regene-*
 de divina bonitate optima quæque *rationis*
 sperare posse. Percipiunt enim in- *progressu*
 terno sensu, quod ipsis inter tenebras
 & pavores illucescat lux & Gratia.
 (a) II.) Testatur, se esse Filios Dei.
 (b) Hoc enim ex percepta indies ma-
 jori Gratia cœlesti sequitur. III.) Te-
 statur ipsos indies magis firmos futu-
 ros, ob signaturosque in bono, indi-
 to arrhabone Spiritus. (c) IV.) Te-
 statur, quod lucem notitiæ Gloriæ
 Dei indiderit cordi, ut illud trans-
 formetur de Gloria in Gloriam di-
 cente Apostolo. (d) V.) Testatur,
 quod ipsos velit tanquam templum
 inhabitare, ut ipsi adhæreant, unus
 eum eodem Spiritus fiant, & perve-
 niant in unitate fidei & agnitionis Fi-
 llii Dei in virum adultum ad mensu-
 ram plenæ staturæ Christi. (e) VI.)

R Testa-

- (a) Psalm. CXII. 4. Ps. XCVII. II. (b) Rom.
 IX. 17. (c) II. Cor. I. 22. (d) II. Cor. III.
 18. Cap. IV. 6. (e) II. Cor. VI. 16. I. Cor. VI.
 17. Eph. IV. 13.

Testatur, quod si in iustitia & sanctitate puro corde Deo servire perrexerint, neque mors, neque vita, neque ulla res eos separare possit a conjunctione divina. (a) VII.) Testatur & docet, quod perpetuo in Domino gaudio spirituali & occulto gaudere possint, (b) quoniam liberati a metu & pavoribus, bono suo interno secure perfruuntur, scientes quod nulla afflictio, neque mors ipsa eos a beatissima divini Numinis participatione separare possit, nisi se ipsos proprio vitio a Deo separaverint. Adeoque prospera & adversa, denique mortem ipsam æstimant tanquam res, quibus exercentur & perficiuntur, scientes ex hoc Testimonio interno causas, cur omnia sic ordinari oportuerit. Hinc nihil non in piorum commodum cedere ex illis rebus necessum est, quæ cæteros affligunt, quoniam causæ harum rerum

(a) Luc. I. 74. Rom. VIII. 38. (b) Phil. IV. 4. I. Theff. V. 16.

rum a Testimonio divino destitutis ignorantur. Causarum ignorantio autem in rebus molestis semper cum dubitatione, metu & terrore conjuncta est, si adversa nobis immittantur ab eo, quem nobis amicum & faventem credidimus. Cessat autem timor iste, cognitis rerum nobis occurrentium causis. Adeoque omnia ex amore cognitæ veritatis libere & libenter perfert animus talis, quoniam integra charitas foras ejicit metum. (a) Hinc ab aliquibus hic *status libertatis* aut *sub Evangelio* appellari solet.

§. VII. Multa sunt, quæ hoc loco prætereunda a nobis veniunt, quoniam experiendo potius, quam demonstrando hæc omnia intelliguntur, quæ tamen ad commemorata a nobis capita ferme redeunt. Generatim vero notamus, omnes has divini Testimonii confirmationes eo collineare, ut *Cor hominis Deum ama-*

Summa Testimonii Sp. S. est amor deus, & pax animæ.

(a) I. Joh. IV. 18.

re condiscat, ex amore adversus Deum omnia agat, & si quæ perferenda imponantur, ferat. Ex amoris autem hujus sensu non potest non sequi constans & serena mentis tranquillitas interna aut pax animi. Dico interna animi tranquillitas, quæ in eo versatur, ut Deum nobis pacatum sciamus. Nam quod res exteriores, quæ rationem & sensus feriunt, attinet, ex iis nulla constantia & perpetua tranquillitas est speranda, quoniam objecta sensuum mutabilitati & constantiæ sunt obnoxia. Igitur qui his innititur, aut hæc aliter, quam inconstantia concipit, ejus tranquillitatem perpetuis molestiis interturbari necessum est. Hinc iterum concludimus, Testimonium Spiritus S. internum in solo hominis corde & tranquillitate divina in ipso producenda terminari. Cætera, quæ rationem aut sensus & res externas concernunt, inconstantia sunt, & ad testimonium idearum & testimonium

sen-

sensuum pertinent, de quibus supra (a) jam actum est, & hac parte speciali capite sequenti quædam adhuc monebuntur. Testimonium autem Spiritus S. internum ea tantum docere, quæ ad futuræ vitæ statum & societatem in hac vita internam cum Deo habendam pertinent, luculenter admodum perspicitur ex fine, quem Deus intendit, cum se animo sive cordi hominis pii communicat: de quo nunc pauca addenda sunt.

II.) *Ad quem finem homini pio Testimonium Spiritus S. internum conceditur.*

§. IIX. Homo ad vitæ beatitudinem quatuor rebus indiget: 1.) *animo pacato*, ne cruciatibus & terroribus conscientiæ agitetur: 2.) *rationis lumine* & ideis, ne perversum aut falsum de rebus oblati iudicium ferat: 3.) *corporis sanitate*, ne dolor aut incommoda valetudo ipsum affligat:

Quod Testimonium Sp. S. homini tantum ad vitæ beatitudinem datur.

R 3

4.)

(a) Parte I. Cap. IV. & V.

4.) *opibus necessariis*; ne injuriis externis succumbat. Opinor autem satis patere Testimonium S. Spiritus nemini concedi neque ad obtinendam sanitatem, neque ad augendas opes. Ut enim alias rationes omit- tam, sequeretur donatos hoc Testi- monio sancto semper corpore valen- tes & divites fuisse, id quod inter ab- surda fides & Scriptura, imo et- iam ratio recta refert. An vero per Testimonium hoc rationis lumen di- recte & per se illa streetur, dubita- ri poterit. Sed præter rationes, quæ jam supra (a) allatæ sunt, negamus Testimonium Spiritus S. directe rationem informare, ideo, quoniam sequeretur hominem pium & divino Testimonio illustratum, in rebus na- turalibus, & quæ rationis ope addi- scuntur, simul eruditum futurum, adeoque *Moses & Paulus*, utpote qui- bus Testimonium hoc divinum ob- tigerat, insimul eloquentes & in arte
ora-

(a) Part. I. Cap. I. §. 14. 16.

oratoria, Mathesi cœterisque disciplinis edocti fuissent, id quod uterque de se negat. (a) Hinc *Cbrystomus* (b) ait: *in Paulo non reperiri debere levitatem Socratis, tumorem Demosthenis, dignitatem Thucydidis, Platonis altitudinem, eloquentie peregrine ornatum; non deesse autem illi simplicem & nudam orationem.* Ut ne brevitatis studio ex Sacris plura testimoniaque afferamus. Restat igitur ut statuamus, Testimonium hoc Spiritus S. solum dari homini, ut *animum aut cor pacatum habeat, & sciat interne cum Deo agere, beatam vitam videre, & bene beateque mori.* Hic præcipuus & unicus finis est, cur Deus hominum cordibus Testimonium hoc dispensare velit.

§. IX. Quod Testimonium Spiritus S. tantum homini detur, ut cor pacatum habeat, etiam inde probatur, quod Deus se cum corde, quod *Probatur alio argumento, quod Testimonium Sp. S. in se non ex-*

R 4

(a) Exod. IV. 10. 14. 15. I. Cor. II. 2. 4. II. Cor. XI. 6. (b) Lib. IV. de Sacram.

*tendat
ultra
cordis
sensum.*

in Scriptura templum suum appellatur, (a) vult unire illudque in habitare. Sed rationem hominis essentia divina inhabitare non potest, quia ratio ideas tantum de rebus format, ipsas autem res contemplari non potest. V. g. ego ratione ideam sive conceptum de monte aut arbore formare mihi mente possum; sed sola ratione montem aut arborem videre non possum. Ad hoc enim præter rationem oculi corporei requiruntur, quibus qui destituitur, nunquam arborem aut montem similiaque visus objecta intuebitur, licet centies ideam aut conceptum de hisce objectis mente efformarit. Igitur ratio ideam sive conceptum de Deo sibi formare quidem potest, v. g. quod sit potens, bonus, sapiens &c. sed ipsum Deum ejusque Gratia in fluxum in se recipere, eo frui & ipsum quasi intueri nequit, quoniam ratio abstractive

(a) II. Cor. VI. 16. Eph. III. 17.

Etive tantum res & veluti in imagine
contemplatur. Scimus autem ex sacris
litteris, quod Deus se ipsum ejusque
Gratiam homini perfruendam velit
concedere, id quod solo corde, non
rationis facultate percipi potest. Igi-
tur Testimonium Spiritus S. cor ho-
minis tantum de rebus divinis per
se & directe informabit, non rationis
facultatem. Quia Deus se cum cor-
de hominis fidelis tantum, non cum
ratione unire potest. Ratio enim
Deum abstrahendo & in idea tantum,
non autem reali sensu percipere pot-
est. (a)

§. X. Unde persape animadver- *Quod ea,*
tere licet, quod sanctissimi homines, *que ex*
qui sacrosancto hoc Testimonio *Testimo-*
Deo donati sunt, effari tamen ea, *nio Spi-*
quæ intra se sentiunt, non possint, & *ritus S.*
quæ in pectore suo de rebus divinis *in corde*
experiuntur, nullis ideis, multo mi- *sentiun-*
nus verbis exprimere potuerint. (b) *tur, Goco*

R. 5

Cujus *Et ideis*
explicari
non poss-
senti-
untur.

(a) Conf. Part. II. Cap. I. §. 8. (b) II. Cor. XII. 4.

Cujus rei hæc, & non alia est ratio, quod Testimonium Spiritus Sancti tantum ad sensum cordis hominis, non autem immediate ad ratiocinandi & ideas effingendi facultatem se extendit. (a) Dico autem, quod se *immediate* non extendat ad rationem divinum hoc Spiritus Testimonium. Nam quod homo, qui divinas operationes in corde per Testimonium Spiritus S. expertus fuit, deinde etiam ope rationis, si ipsi hujus promptitudo contingit, de rebus divinis antea perceptis differere, atque ideas de iis effingere possit, non est negandum. De quo capite sequenti distinctius agetur §. 10.

Ufus hujus doctrinae proposita.

§. XI. Ex dictis duo, quæ in rebus sacris magni usus sunt, sequuntur. *Primum* est, quod Testimonium Spiritus S. internum neminem per se & ordinarie in rebus temporalibus, uti Mathesi, Historia, linguis &c. doctum efficiat, & quod doctrina huma-

(a) Conf. §. 3. hujus capitis.

humana alijs subsidijs aliaque via sit addiscenda. *Secundum* est, quod homo vere pius Deoque gratissimus tamen eruditione humana & doctrinis, quæ rationis lumen exigunt, possit esse destitutus: uti contra in disciplinis eruditorum versatissimus ab omni pietate vera potest esse quam remotissimus. Quoniam vero hæc adducta magni sunt momenti, & dilucidationem aliquam uberiolem exigunt, concedemus hisce propositionibus caput peculiare, quod sequitur, VII.



CA-

CAPUT VII.

Quod Testimonium Spiritus S. internum non sit extendendum ad ideas & res facultati rationali atque sensibus subjectas, licet hæc suo modo perficiantur per illud.

SUMMARI A.

Divisio capitis. §. 1.

I.) *Quod perperam agant, qui Testimonium Spiritus S. ad res rationi & sensibus subjectas extendunt.*

Repetuntur ex superioribus fundamenta demonstrandorum. §. 2.

Disciplinæ ex ratione & sensibus deductæ per Testimonium Spiritus S. addisci non possunt. §. 3.

Res divinæ, rationales & sensuales diverso modo addiscendæ sunt. §. 4.

Non repugnat, hominem piæ esse indoctum, & vice-versa. §. 5.

Pietas non tollit eruditionem. §. 6.

Sensus dicti, qui novit Deum, novit omnia. §. 7.

Sensus dicti 1. Tim. IV. 8. §. 8.

II.) *Quod Testimonium Spiritus S. ideas & facultatem rationalem ac sensualem suo modo perficiat.*

Axiomata ad intelligendam Testimonii Spiritus S. operationem in rationem & sensum. §. 9.

Testimonium Spiritus S. juvat ideas & rationem in rebus sacris. §. 10.

Testimonium Spiritus S. juvat rationem in naturalibus. §. 11.

Testimonium Spiritus S. prærequirit rationis facultatem, ut eam perficiat. §. 12.

Testi-

Testimonium Spiritus S. naturales vires non novas efformat, sed acceptas a natura tantum perficit. §. 13.

Testimonium Spiritus S. sine ratione aliis parum prodest. §. 14.

Ratio scientiis & linguis est excolenda. §. 15.

Quod Testimonium Spiritus Sancti ad sensuum incolumitatem immediate aliquid conferat. §. 16.

§. I.

Duo nobis hoc loco sunt deducenda, *unum* est, quod perperam agant, qui Testimonium Spiritus S. ad res rationi & sensibus subjectas, *ordinarie & immediate* extendunt, hoc est, qui artes & scientias naturales ex internis divini Spiritus motibus hauriendas opinantur §. 1. ad 9: *alterum*, quod Spiritus S. Testimonium multum juvet culturam rationis & sensuum firmitatem §. 9. ad finem.

I.) *Quod perperam agant, qui Testimonium Spiritus S. ad res rationi & sensibus subjectas ordinarie extendendum esse putant.*

§. II.

Repetuntur ex superioribus fundamenta demonstrando.

§. II. Diximus supra, (a) quod animo hominis triplex percipiendi modus insit, sive quod mens veritates tribus viis cognoscere possit. Ostendimus ibidem, (b) quomodo diversæ hæ facultates in hominis animo differant: indicavimus porro (c) quænam objecta ad quamlibet harum facultatum perceptionem pertineant. Postea (d) deduximus, quod omnis error ex rerum harum ignoratione aut commixtione ortus sit. Nolumus Veterum exemplis ex historia Ecclesiastica, aut recentium aberrationum commemoratione tradita nostra illustrare. Prius enim propter amplitudinem suam, posterius ob recentis memoriæ invidiam, quæ cum opprobrio errantium conjungitur, ab instituto nostro alienum est. Primas enim lineas & principia damus, quæ recte intellecta facile oblatis casibus applicantur,

§. III.

(a) Part. Gen. Cap. I. §. 12. (b) §. 13. 14. (c)

Ibid. §. 15. seq. (d) Part. Gen. Cap. III. 10. seq.

§. III. Quod si ergo cor hominis *Disciplina ex ratione & sensibus deducta, per Testimonium Spiritus S. addisci non possunt.*
 solis operationibus divinis & cœlestis
 Gratia influxui a Deo destinatum est,
 (a) Spiritus S. Testimonium autem
 de supernaturalibus & cœlestibus re-
 bus tantum testatur in corde homi-
 nis: (b) evidens est, perperam & ab-
 surde agere illos, qui doctrinas, sci-
 entias & disciplinas naturales, uti
 Medicinam, Jurisprudentiam, Musi-
 cam, Mathesin, artem calceariam &c.
 ex Testimonio Spiritus S. interno ad-
 ducere laborant, idque aliis persua-
 dere inepte student. Confunduntur
 enim hac ratione facultatum distin-
 ctissimarum functiones, quas Deus
 ad peculiarem finem animo indidit.
 Ex quo non potest non sequi summa
 in rebus liquidissimis confusio, error
 & absurdi lapsus. (c)

§. IV. Notandum proinde, nullam *Res divi-
 na, rati-
 onales &
 sensuales
 & diverso*
 animi facultatem ultra destinatum
 sibi a Deo objectum via ordinariâ

(a) Part. II. Cap. VI. §. 8. 9. (b) per Cap. præced.
 VI. § 2-7. (c) Part. I. Cap. III. §. 10. seqq.
 conferatur.

modo ad- & regulariter extendendam esse; ne-
discenda
sunt. que media, ad unam aliquam animi
 facultatem excolendam ordinata, con-
 fundi debere cum cæteris. Itaque
res divine & cælestes nulla alia animi
 potentia aut facultate, quam divina
 illa, sive corde (a) percipi possunt, &
 illis, subsidiis earum possessio acqui-
 ritur, quæ a nobis infra (b) indica-
 buntur. *Res rationales & disciplinæ*
 naturales rationis & idearum ope
 addiscuntur. Nec cor hominis per-
 fecte & solide tranquillum reddunt,
 aut Testimonium Spiritus S. in pecto-
 re producunt. *Res sensuales* ex ob-
 jectis externis per quinque sensus
 corporeos hauriuntur, nec ultra mo-
 tum, quem sensibus corporis impri-
 muntur, vim & efficaciam suam ex-
 tendunt. Quemadmodum ergo fru-
 stra sunt, qui Regnum Dei in cibo &
 potu ponunt: (c) ita luculenter illi
 er-

(a) Vid. Pars I. Cap. I. §. 17. & Pars II. Cap. I. §.
 4. 5. (b) Cap. XIX. Par. II. (c) I. Cor. XIV. 8.
 Rom. XIV. 17.

errant, qui cibum & potum, & quæ ad corporis incolumitatem pertinent, sibi ex Testimonio Spiritus S. & Gratia interna immediate advenire falso opinantur. (a)

S. V. Ex quo evidenter apparet Non re-
pugnat
hominem
pium esse
indo-
ctum, &
sic versa. posse hominem unam animi facultatem, aut, ut ita dicam, mentis suæ partem excolere, in ceteris rerum omnium ignarum. Qui rerum corpulentium aut spiritualium veram & experimentalem habet intelligentiam, vocatur *pius*. Qui rationem excoluit, & disciplinas naturales addidit, appellatur *doctus* aut *eruditus*. Qui objecta sensuum & res materiales tractare novit, dicitur *industrius* aut *artificiosus*. Jam ergo intellectu haud est difficile, quod aliquis possit esse *pius*, hoc est, qui divinarum rerum in corde habet sensum, interim tamen quoad res naturales hujus mundi indoctus. Contra potest quispiam vel ad miraculum esse doctus, hoc

(a) Col. II. 23.

est; qui naturales animi facultates, ingenium, iudicium, memoriam, linguas & scientiis humanis excoluit, qui tamen minime sit *pius*, hoc est, qui nullum divinæ Gratiæ sensum in corde experitur. Porro contingere potest, ut quispiam sit *artificiosus* & industrius in dirigendis rebus materialibus & externis, qui tamen nec *doctus* sit, nec *pius*.

Pietas

*non tollit
eruditionem.*

§. VI. Hinc male rebus suis consulunt, qui pietatem, omnium virtutum facile principem eo extendunt, quo Deus eam extendere noluit; nimirum ut omnes reliquas disciplinas & eruditionem aspernentur. Quo efficitur, ut ejusmodi homines Deo quidem grati & in pectore suo tranquilli, cæterum omnium artium & doctrinæ elegantioris ignari sint, ac proinde hominibus, qui rebus terrestribus inhaerent, parum utiles videntur, suæque fortunæ magnam cladem afferant, ad quam perferendam vera pietas eos minime adigit, si modo

do

do res humanas, quantum facultas fert & par est, cum divinis conjungendas sibi que excolendas simul putent.

§. VII. Nec est, quod objectione *Serfus dicit: Qui novit Deum* moveantur, quod, qui Deum novit, *68 Deum nobis omnia.* omnia noscat, sola autem pietate Deum recte cognosci. Respondeo enim:

Qui Deum novit, novit omnia, quæ ad divinam ejus Gratiam in corde fideli percipiendam cognitu sunt necessaria. Inde tamen non sequitur, quod, qui Deum per veram pietatem novit, simul ea noscat, quæ Deus extra se produxit, uti sunt res naturales & materiales. In his enim homo, vere pius esse potest per §. 2. 3. 5. ignarissimus, nisi eas methodo, rebus rationalibus conformi, per meditationem & idearum considerationem didicerit. §. 4. Noscet igitur homo solum pius per pietatis studium, Deum esse fontem omnis boni & supremam suam felicitatem; quomodo autem bona particularia, extra Deum

§ 2 in

in hoc mundo posita, comparari possint, illud aliis subsidiis & cuique rei acquirendæ propriis erit addiscendum.

Sensus

dicti: I.

Tim. IV.

8.

§. VIII. Inquies forte Apostolum affirmare, *(a) pietatem esse ad omnia utilem*, adeoque etiam ad comparandas scientias naturales. Respondetur, pietatem ad omnia esse utilem, quæ ad consequendam Gratiam divinam in hoc & futuro mundo sunt necessaria. Male tamen inde colligitur, pietatem directo nobis instillare reliquas scientias in vita humana utiles, citra adhibitam nostram operam, quam ad has acquirendas, lege communi, necessariam esse ductu rationis videmus. Deinde pietatem ad acquirendas scientias humanas quoque utiles esse concedimus, sed addita explicatione sobria, scilicet quatenus pietas hominis mentem reddit tranquillam, eamque disponit, ut lætus & hilaris se ad excolendas disciplinas

(a) I. Tim. IV. 8.

plinas accingat, fretus auxilio & benevolentia Dei, qui faciliora ipsi subsidia sit suppeditaturus, ut institutum suum felici cursu perficere possit, Quatenus autem Testimonium Spiritus Sancti, quod cum vera pietate perpetuo nexu conjungitur, provehat ingenii & disciplinarum cultum in rebus humanis, illud ex sequentibus mox clarius patebit.

II.) *Quod Testimonium Spiritus S. ideas & facultatem rationalem ac sensualem suo modo perficiat.*

§. IX. Ad meliorem intelligentiam eorum, quæ dicentur, notandum est in antecessum, I.) *quod res aliqua ab alio quodam principio promoveri possit vel mediate, vel immediate.* Axiomata ad intelligendum Testimonii Spir. S. operationem in rationem & sensus. Pedes mei immediate cursum & ambulationem ad locum aliquem promovent, sed oculi mei & mens cursum & ambulationem promovent mediate, dum nimirum lumen suppeditant, ne pedibus

dibus offendam, sed ut expedite pergere possim. Quod si enim oculis destituerer, licet pedes ad ambulandum essent aptissimi, hærerem tamen animo inter tenebras, metuens, ne vel præceps in obstaculum impingerem, vel in foveam proruem.

II.) Sciendum, *omnes percipiendi facultates in animo aliquam inter se connexionem habere*, adeoque unius facultatis perfectionem vel defectum statim suo modo in reliquas animi potentias aut vires, propter hunc nexum, diffundi. III.) Observandum, *quod superiora possint promovere inferiora; inferiora contra, licet superiora nequeant provehere aut perficere, impedire tamen eorum operationes possunt*, aut ad minimum efficere, ne ipsorum virtus tam prompte sese exserat. Quibus præmissis, indicabimus breviter, quomodo Testimonium Spiritus S. rationem & sensus perficiat, & lumine suo illustret.

§. X. Ideæ sunt conceptus aut operationes mentis, quas homo format de rebus, quas per appulsum aliquem ad animum prius senserat. (a) Ex quo patet, neminem de re quadam ideas rectas formare posse, nisi rem antea sensibus externis, aut immediata perceptione interna, appelliquasi ad animum senserit. Jam ergo, qui divinam in corde Gratiam ejusque sanctos motus percepit, aut, uti Psaltes loquitur, (b) spectarit Dominum quam suavis sit, illuminatus fuit, gustavit donum illud celeste, particeps factus est Spiritus Sancti, accessit ad montem Sion & Civitatem Dei vivi, Hierusalem celestem & myriades Angelorum, conventum universalem & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in coelis: ejusmodi homo facili negotio rectas de rebus his in animo suo perceptis ideas efformare, easque

Testimonium Sp. S. jubat ideas & rationem in rebus sacris.

S 4 cum

(a) Conf. Pars I. Cap. V. §. I. 2. (b) Ps. XXXIV. 9. & Paulus Hebr. VI. 4. add. Hebr. XII. 22. 23.

cum aliis communicare potest. (a)

Quod alius quispiam, qui divino hoc Testimonio destituitur, aut plane facere nequit, aut, si quid horum ausus fuerit, falsa de rebus sibi incognitis, vel falsa veris mixta proferet. (b) Hinc elucet, quomodo Testimonium Spiritus S. conceptus & ideas in rebus sacris promoveat & illustret. (c)

Testimonium Sp. S. jubet rationem in naturalibus.

§. XI. Quod vero ad ideas aut conceptus de rebus naturalibus & rationi subjectis attinet, uti si cui disciplina aliqua, Mathesis, Physica, Metaphysica &c. & linguæ fuerint addiscendæ, Testimonium Spiritus S. has quidem non immediate promovet, juxta §. 9. num. 1. quoniam illud se ad rationis facultatem directe & immediate non extendit; (c) Interim tamen multum confert mediate, per locum citatum, Testimonium

(a) Vid. Pars II. Cap. IV. §. 8. (b) Pars II. Cap. III. §. 3. (c) Pars II. Cap. VI. §. 8. 9.

nium Spiritus S. ad veritatem, certitudinem & culturam, disciplinarum & idearum, quæ ad ratiocinandi facultatem pertinent, & quidem propter has rationes. I. Qui cor & Spiritum habet tranquillum, & in Deo suo lætari potest, is cum gaudio & jucunditate inferiora hæc & humana tractat, minime omnium vero cogitationibus anxiiis distractus impeditur, sed omnem rerum nexum attentam meditatione contemplari potest, quod certe fundamentum est omnis solidioris eruditionis. Id quod facere prohibetur, qui terroribus Conscientiæ, passionibus aut animi ægritudine concutitur. II. Istiusmodi homo, qui donatus est Spiritus S. Testimonio, rationes rerum in moribus imprimis facilius perspiciet præ altero, qui isthoc destituitur. Non enim Deum fontem, ex cujus voluntate omnia promanant. Hinc in prosperis & adversis æquabiliter se geret,

geret, faciliusque in calamitatibus immisissis se solabitur. (a) Atque hoc est, quod ab Apostolo dicitur, (b) quod Deum timentibus omnia cooperentur in bonum. III. Quoniam connexio est inter omnes animi facultates per §. 9. num. 2. hinc manifestum evadit, quod facilius res suscepta sit successura, si pectus & cor hominis Gratia & lumine cœlesti fuerit illustratum. Tunc enim hujus integritas & illustratio ad cœteras quoque inferiores animi facultates dimanabit, ut, quemadmodum decet, diligenter, circumspecte & alacri animo in suscepto opere suo versentur. IV. Quoniam superiora promovent inferiora & perficiunt per §. 9. num. 3. summum autem in homine bonum est Spiritus S. Testimonium: hinc iterum sequitur, quod testimonium hoc mediante ratione inferiores animi facultates

(a) Conf. Pars H. Cap. VI. §. 6. num. 6. (b) Rom. IIX. 27. 28.

tes perficiat, ut successu in rebus mundanis & terrestribus, ad quæ homo a Deo vocatur, versari possint. Et hoc est, quod dicitur, (a) quod pietas promissionem etiam hujus seculi habeat, & quod *mediate* atque *modo explicato* ad omnia utilis sit. Repete §. 8. hujus capituli.

§. XII. Sciendum est, Spiritus S: ^{Testimonium Sp.} Testimonium ^{S. prære-}mediate quidem illu- ^{quirit}strare rationem, (b) sed ut hoc de- ^{rationis}center fieri possit, præsupponere ^{faculta-}quod hominis animus ratiocinandi ^{tem, ut}facultate per naturam gaudeat. ^{eam per-}Non enim per divinum hoc Testi- ^{ficiat.}monium nova in animo hominis producit facultas, sed facultas, quæ per naturam homini jam inest, corroboratur & perficitur, uti sol & lumen oculum quidem illustrat tenebrasque dispellit; verum hominem oculo destitutum non reddit videntem, quoniam sol oculum ipsum non producit. Hinc fatui, demen-

(a) I. Tim. IV. 8. (b) per §. II. hujus Cap.

mentes, hypochondriaci & quibus rationis facultas corrupta aut plane adempta est, nunquam rationis facultatem recipiunt per Testimonium divinum ejusque Gratiae influxum, licet de cætero donis supernaturalibus ubertim illustrentur. Non enim deliris aut mente captis, ob mentis inopiam statim influxus Gratiae coelestis in ipsorum cor & beatitudo, cæteris paribus, negari potest, quia rationis facultate destituuntur. Sunt enim distincta inter se cor aut voluntas hominis, & ratio. Hinc una quæque harum facultatum etiam distinctas a se invicem operationes recipere potest, sic quidem, ut ratio quædam percipiat, quæ cor tamen hominis non experiatur, & cor quædam experiatur, quæ ratio non percipit.

Testimonium Sp. S. naturales vires non nobis ef- §. XIII. De cætero sciendum est, rationis naturam, uti per se est ante regenerationem constituta, non immutari aut ultra naturæ suæ semel con-

concessæ spheram efferri, sed ejus ^{format,}
 tantum naturalis constitutionis capa- ^{sed acce-}
 citatem aut modum restitui & perfici- ^{ptas per-}
 ci, secundum constitutionis suæ, ^{ficat.}
 quam a natura habet, leges. Dicam
 clarius, quid velim, exemplo. Qui
 obtusioris est ingenii, non ideo
 per Testimonium Spiritus S. ejusque
 Gratia operationem accipit subtilis-
 simum ingenium, ultra naturæ suæ
 constitutæ sortem; sed si forte idem
 obtusioris ingenii & rationis homo
 ingenium & rationem suam affectu-
 um pravitate aut aliis vitiis corrupis-
 set, hæc ipsius ingenio ascita pravi-
 tas per regenerationis Gratiam adi-
 mitur, & restituitur in eum statum
 ejus ratio, quemadmodum per na-
 turam suam, citra istam adventitiam
 corruptionem esse debuisset. Ad-
 eoque sanatur hominis ratio a viti-
 is, quæ sibi adhæserant, sed ultra su-
 am naturæ sortem non evehitur.
 Hinc hominis alicujus ratio subtilis
 corrupta liberatur per sanctam hanc
 divi-

divini Spiritus Gratiam a corruptione, & subtilitati suæ natura sibi debita restituitur. Hominis autem ratio debilior aut obtusior corrupta, liberatur etiam a corruptione, sed non in tantum ipsa obtusior indoles perficitur, ut subtilis & peracuta reddatur, quemadmodum prior. Servantur enim etiam in regeneratione naturæ semel institutæ leges, nisi forte extra ordinem Deus alicui quid dispensare voluerit.

Testimonium Sp. S. sine ratione aliis parum prodest. §. XIV. Sciendum adhuc est, illum, qui Testimonio Spiritus S. est illustratus, si rationis facultate destituatur, aut obrusa admodum & inexercita indole naturæ vitio præditus sit, nemini aut paucissimis prodesse posse. Ratio est, quia, si cum aliis in statu naturæ & in ignorantia versantibus divina Gratia est communicanda, fieri illud debet per ideas & ratiotinationem. (a) Ipsa enim divina Gratia in hominis corde se ad

(a) Pars I. Cap. I. §. 16.

ad alium non extendit, uti supra (A) probavimus. Quoniam vero homo solo Testimonio Spiritus S. in corde gaudens, destituitur ideis rationis & proponendi facultate, sequitur, quod istiusmodi docendo nemini aut paucissimis prodesse possit, nisi forte exemplo & probis ac compositis moribus.

§. XV. Quoniam itaque magni usus *Ratio* est etiam in rebus divinis recte exculta *Scientiis* rationis facultas, proinde danda est o- *& linguis* pera, in primis ea aetate, ubi majoris lu- *est excolenda.* minis animus non est capax, ut rationem scientiis utilibus & linguis excollamus. Sic enim promptius aliis diviniora demonstrare, & faciliori via & methodo eadem proponere poterimus, sicubi postmodum donis Spiritus S. ejusque divino testimonio fuerimus illustrati.

§. XVI. Quod divina Gratia per *Quod* Testimonium Spiritus S. facultatem *Testimo-* sensuum eorumque sanitatem me- *nium Sp.* diare *S. ad sen-* *suum tra-*

(A) Part. II. Cap. III. §. 4.

columni- diate promoveat, mox ostendetur,
tatem nunc tantum notamus, quod omnes
mediate percipiendi facultates inter se conne-
aliquid xionem habeant per *num. 2. §. 9.*
conferat.

Ac proinde, si animus probe fuerit compositus, intellectus noster duo evitabit, quando res aliqua per sensus est cognoscenda: I.) ne omnem per sensus factæ perceptionis veritatem neget: II.) ne præceptis nimis sensibus per omnia fidem habeat. *Primum* inde innotescit menti, quia Deus sic ordinavit, ut per sensus objecta extra nos posita percipiatur, de cujus ordinata voluntate ex divinæ Gratia Testimonio omnium clarissime constat. *Secundum* autem ex eo claret, quia sensus facillime falli possunt, nisi attenta mens perpetuo illis invigilet, & accurate in objecta proposita inquiret. Dico divinam Gratiam *mediate* tantum sensibus consulere. Nam salus immediata sensibus advenit ex sola medicina & Physicis scientiis. **Quod vero Gratia celestis**

stis mediate sensuum salutem pro-
 curet, hoc argumento probatur: Ad
 sensuum sanitatem & integritatem
 quam plurimum confert modera-
 men affectuum. Nemo vero prom-
 ptius continere affectus didicit, nisi
 qui robur illud ex divina Gratia acce-
 pit. Hæc enim talem largitur influ-
 xum in mentem, ut ejus veritate &
 efficacia concitatos animi motus, op-
 posito diviniore hoc præsidio, repri-
 mere & ad tranquilliores statum ani-
 mum commotum reducere possit.
 Quo fit, ut nullis vehementioribus
 sanguinis & spirituum animalium vio-
 lentis concitationibus organa corpo-
 rea & sensus lædantur aut hebetentur.
 Ex quo intelligitur, quantum gratio-
 so hoc Spiritus S. Testimonio etiam
 corporis & sensuum incolumitas
 promoveri possit.

T

CA-

CAPUT IIX.

Quibus subsidiis acquiratur Spiritus
S. Testimonium.

SUMMARIÆ.

- Divisio Capitis. §. 1.
- I.) De subsidiis generalibus, quibus acquiratur Spiritus S. testimonium.
- Quid sint subsidia generalia. Reperuntur fundamenta horum. §. 2.
- Proponitur unicum generale medium ad consequendum Spiritus S. testimonium. §. 3.
- Probatur generale hoc medium esse unicum & indispensabile. §. 4.
- Media, quibus homo desideria & voluntatem suam a sensibus & ideis abducere, & ad DEum convertere possit. §. 5.
- Quid circa intellectum observandum sit. §. 6.
- Quid circa delectationes tenendum sit. §. 7.
- Quid præterea homini faciendum sit. §. 8.
- II.) De subsidiis specialibus, quibus acquiratur Spiritus S. Testimonium.
- Ad media specialia pertinent Preces, quibus fides per Gratiam excitatur & corroboratur. §. 9.
- Lectio sacræ Scripturæ. §. 10.
- Meditationes sanctæ & Verbi divini auscultatio. §. 11.
- Custodia cordis. §. 12.
- Sacramentorum rectus usus. §. 13.
- Conversatio cum hominibus eruditis & sanctis. §. 14.
- Lectio librorum sacrorum. §. 15.
- Quale cuique medium sit eligendum. §. 16.

§. I.

Media, quibus aliquis ad senti- *Disiſſo*
 tiendum in se Spiritus S. *capitū.*
 Testimonium perduci po-
 test, commode dividun-
 tur in *generalia*, quæ cuique homi-
 num sunt adhibenda, & *specialia*, quæ
 suppositis prioribus generalibus, pro
 ratione personarum, naturæ aliarum-
 que circumstantiarum huic aut illi
 præcipue sunt usurpanda, ut tanto
 facilius feliciusque in sancto institu-
 to suo provehatur. Hinc *duo* ite-
 rum in hoc capite articuli nobis
 erunt pertractandi, sed per sum-
 ma tantum capita. *Unus* aget de
 subsidiis generalibus, quibus itur
 ad Testimonium Spiritus Sancti in
 corde percipiendum §. 2. ad 9. *alte-*
rum de subsidiis specialibus, & uni
 præ altero accommodatis. §. 9. *ad*
finem.

I.) *De subsidiis generalibus, quibus
 acquiritur Spiritus S. Testi-*
monium.

T 2

§. II.

Quid sint subsidia generalia. Re- § II. *Generalia subsidia appellan-*
subsidia generalia. Re- lantur illa, *que homini sine exceptio-*
petuntur *ne non tantum adhibenda sunt ad*
fundamenta *consequendum divini Spiritus Testi-*
eorum. *monium; verum etiam que ex consi-*
deratione Dei & anime nostra. ejus-
que facultatum necessario fluunt, ad-
 eoque ex principiis a nobis in ante-
 cedentibus explicatis evidenter de-
 monstrari possunt. Diximus nimirum: (a) Deum possidere omnes
 perfectiones, uti divinum lumen,
 gratiam, lætitiã &c. Cor homi-
 nis destinatum esse ad hæc in se per-
 cipienda. (b) Hominem autem in
 statu naturæ constitutum, hoc est,
 qui affectibus & rationi sibi relicte
 solum obtemperat, ignorare hæc
 omnia: (c) Quod ex nulla alia cau-
 sa est, quam quod in se dominari
 patitur sensuum & rationis faculta-
 tem

(a) Part. II. Cap. I. §. 6. 7. (b) Part. I. Cap. I.
 §. 17. 14. & Part. II. Cap. II. §. 5. Cap. V. §.
 4. (c) Part. II. Cap. I. §. 13. Cap. V. §.
 2. 4.

tem atque objecta sensuum visibilia in hoc mundo (a) & ideas de rebus hisce efformatas, quæ se animo ad hæcce propendenti sic ingerunt, ut cor hominis ineptum reddatur, & veluti obturetur ad admittendum divinæ Gratiaë influxum. (b)

§. III. Hinc sequitur quod accurate loquendo, unicum tantum sit *Proponitur unicum generale* generale subsidium ad acquirendum Spiritus S. Testimonium summene- *medium ad consequendum hoc Testimonium.* cessarium, quod ab omni æternitate omnibus, qui unquam salvi sunt facti, fuit necessarium, & in quo,posito hoc hominis statu, Deus dispensare nunquam potuit. Hoc vero est *Conversio desiderii nostri & omnium anime facultatum a sensualibus rebus & vanis ideis ad Deum, & cordis atque voluntatis nostre ad divinae Gratiaë sensum excitatio.* Id est, ut dictum clarius breviterque explicem,

T 3 re-

(a) Eph. II. 3. (b) Pars. II. Cap. II. §. 6. Cap. IV. §. 4.

requiritur ab homine, ut animus noster a rebus terrestribus & vanis cogitationibus, quibus amore & desiderio hactenus inhaesit, sese omnimodo abducat, & amorem illum & desiderium versus peritura, naturæ vi propendentem, ad Deum & ejus Gratiam, in corde nostro percipiendam, serio & constanti proposito convertat; Sensus autem & rationem illorumque objecta ita moderetur, ne voluntas & cor hominis amplius impediatur, quo minus divinos motus in se experiri possit. (a)

*Probat-
sur, ge-
nerale
hoc me-
dium esse
unicum
& indi-
spensabi-
le.*

S. IV. Quod conversio desiderii nostri cæterarumque animi facultatum a rebus sensualibus & ab ideis rerum periturarum ad Deum sit unicum indispensabile consequendi Testimonium Spiritus S. & Gratiam coelestem medium, inde probatur, quia Deus Gratiam suam nolenti, & a se averso concedere nequit; ipsa quoque divinæ Gratiæ vis percipi ab animo non pot-

(a) Matth. XXII. 37.

potest, qui ab admittenda Gratia plane averfus est. Deus enim hominem creavit liberum, id est, talem, qui se avertere & convertere, gratia præveniente excitatus posset, ad quemcunque rem & objecta ipse velit. Quo libertatis dono in naturalibus semel concessio, cogere amplius hominem Deus non potest, ut, se nolente & invito, recipiat dona cœlestia. Igitur hominis est, postquam divina Gratia ipsum ex somno peccati excitavit, ipsumque gratiose prævenit, convertere voluntatem & desiderium suum ad Deum ejusque Gratiâ, lumen cœteraque ipsius dona cœlestia ipsi oblata. Quod si autem inhærere hominibus objectis Deo contrariis amore & voluntate sua voluerit, fieri plane non potest, ut Deum ejusque Gratiâ in corde suo sentiat. Atque in hac re Deus dispensare nequit. Repugnat enim Deum ejusque amorem in corde recipere, hoc est, hominem ad Deum voluntate

conversum esse, & tamen ab eodem voluntate esse aversum, hoc est, non recipere. Itaque cor hominis aut ad Deum erit serio conversum ejusque Gratiam recipiet, aut ab eo erit aversum, & nihil de Gratia & Testimonio Spiritus S. in corde experietur. Conversio enim & aversio animi, perceptio & ignoratio sibi directe opponuntur.

*Media,
quibus
homo de-
siderium
& volun-
tatem sua-
am sensi-
bus &
ideis ad
Deum re-
ducere
possit.*

S. V. Postquam igitur demonstratum est, conversionem voluntatis & desiderii nostri omniumque animi facultatum a rebus terrestribus & ortis inde ideis ad Deum, esse unicum consequendam Gratiam & Testimonii Spiritus medium, superest, ut monstretur, quomodo desiderium & voluntas nostra a rebus terrestribus, quibus naturali propensione inhæret, abduci possit. Res magni momenti est, & quæ tractationem uberiores, quam quæ hoc loco institui potest, meretur, utpotè ex quo

quo omnis nostra æterna salus & pernicies proficiscitur. Dabimus tamen breves in hanc rem commotiones. Intellectus & cognitio rei præstantis atque nobis gratæ excitat desiderium nostrum: igitur intellectus officium est, ut desideriis nostris naturalibus exhibeat res divinas tanquam sua dignitate longe præstantissimas, & quæ terrestria hæc infinitis modis divinitate sua superent. Incendendus igitur est animus & voluntas nostra ad appetendas res divinas & Deum, consideratione fragilitatis rerum terrestrium. Videmus omnia mundi bona fluxa, fragilia & inconstantia sua se mole & vicissitudine corrumpere. Nihil itaque solidi & perennaturi in his sperandum, sed ad aliud quid præstantius, quod perennat, & ad quod possidendum anima nostra invisibilis & æterna creata fuit, contendendum est. Divinissimum præstantissimumque omnium est Deus,

in quo voluntas tuto se reponere
 suaque desideria exsatiare potest.
 Itaque multum conferet ad abdu-
 cenda desideria & animum a terre-
 stribus & ideis, si cogitemus, sero
 quidem & repetitis saepe vicibus, (1)
 res mundanas esse inconstantes. Ac
 proinde (2) a nobis vi & ad lubi-
 tum nostrum retineri non posse. (3)
 Eorum interim custodiam & posses-
 sionem cum cura & sollicitudine, ja-
 cturam autem cum summo dolore
 esse conjunctam, imo, quarum im-
 modica cupiditas, amor & tenax stu-
 dium vel solum efficit, ut iræ divinæ
 obnoxii æternis mulctemur crucia-
 tibus. (4) Res humanæ semper per-
 turbant animum, cujus tranquilli-
 tas summum nostrum est bonum.
 (5) Nihil plane res sensuales extra
 nos positæ, conferunt ad animi no-
 stri perfectiones. Ex harum posses-
 sione enim nemo sapientior aut do-
 ctior efficitur. (6) Eæ nullam pla-

ne

ne habent affinitatem cum animo invisibili, Spirituali & immortalis; sed ordinatæ tantum sunt ad corpus, quod infima hominis pars est. (7) Ideæ etiam & speculationes fatigant tantum animum, distrahunt, aut si quid efficiunt, modice & desultorie eum permulcent; solidam tamen & constantem animo voluntatem non largiri possunt. (8) Deus contra ejusque Gratiæ affluxus cor hominis penitus exfatiat, & quia infinitus est Deus, infinitam & ineffabilem menti concedit requiem & gaudium. His similibusque meditationibus si voluntas nostra sæpe excitetur, in homine naturali judicio utente & in commoda sua propendente, dubium non est, fore, ut accedente imprimis fiducia, in præsidium & bonitatem cœlestem (4) animus percepturus in se sit facilitatem, qua desideria & animi sui

facul-

(4) Vid. Pars II. Cap. V. §. 4--6.

facultates a rebus externis, ideis & a semetipso abducere, & ad Deum, fontem omnis boni, convertere possit, aut minimum enixam voluntatem sit sensurus, ut ex animo liberari a vanis objectis cor & desideria sua atque ad diviniora transferri, exoptet.

Quid circa intellectum observandum sit. §. VI. Quoniam vero præter desiderium & voluntatem in homine est intellectus, danda est opera, ut quantum in vita humana licet, se occupationibus & ideis, haud magno pere utilibus & necessariis, abdicet, & circa ea potissimum meditatione severa versetur, quæ ipsum ad Deum rerumque divinarum possessionem adducunt. Hinc dimittenda sunt ea, quæ sensus nimium irritant & rationem speculationibus & curis supervacaneis replent. Per hæc enim efficitur, ut motus Gratiæ debiliores non sentiantur in corde, si animus multifariis cogitationibus fuerit impeditus. Aut si inter tot ob-

obstrepentes cogitationum tumultus aliquando divinæ Gratiæ sensus percipitur, is ut plurimum non pure (id quod multorum errorum causa est) sed cum aliarum perceptionum, ex imaginatione & ideis naturalibus provenientium, mixtura conjunctus percipitur. Idem enim hoc in statu hominis accidit, quod lenem & suavissimum musices concentum audire cupienti. Quod si enim aures obstrepentium tumultuum vehementia percellantur, fit, ut veluti obturati nihil omnino de harmoniæ suavitate exaudiant; aut si quid remittente aliquantum strepitu, perceperint, minus recte, & ex parte tantum, musices concentum auribus accipiant.

§. VII. Imprimis probe circum-^{Quid cir-}
spiciendum est, quibus in rebus ma-^{ca dele-}
xime delectetur & conquiescat ani-^{Etationes}
mus. Hoc enim certissimum amo-^{tenem-}
ris nostri adversus illam rem, cujus ^{dum fit,}
oble-

oblectatione capitur, indicium est. Ab illis ergo delectationibus homini, maxime inter initia, cavendum est, quæ non cognoscendæ divinæ Majestatis, ejusque gloriæ promovendæ causa suscipiuntur. Quapropter utile est, ut rescindantur illæ voluptatum capiendarum occasiones, quæ animum ad externa sensuum & cogitationum oblectamenta tantum deducunt. Moderanda etiam illa voluptatum genera, quibus ad reficiendos sensus in vita carere non possumus, ut ne licitos & honestos usus egrediamur. Quærenda autem sincero studio illa objecta, quæ sensus sanctis imaginibus, & rationem piis devotisque meditationibus replent, ut, si circa quædam ratione & sensibus occupatio sit instituenda, inprimis in ejusmodi versetur rebus, quæ ad finem suum sanctum, hoc est, Gratiæ cœlestis sensum proxime conducunt.

§. IIX.

§. IIX. Animo & corde hominis hunc in modum ordinato, *spes* ^{Quid praterea homini facien- dum sit.} *unice collocanda est in benevolentiam cœlestem, ipsiusque liberrimæ voluntati in acceptis ferendum est, quando & ubi Optimo Numini propter meritum Filii sui pretiosissimum, Redemptorem nostrum Jesum Christum placuerit, cor nostrum sanctissimo divinæ Gratiæ sensu illustrare. Qui tamen, si nihil ex nostra parte neglectum fuerit, nunquam deerit, desideriis nostris, rite ordinatis, cœlesti favore suo annuere, ut cor nostrum anxium & de ipsius Gratiæ sollicitum sensu interno de bonitate divina certum reddatur. Id quod multo promptius faciet, quam quidem sol serena tempestate oculo puro & nulla labe infecto aut ad lucis radios recipiendos impedito, lumen suum ingerit. Atque hæc nobis promptissima brevissima-*

simaque videntur esse subsidia perveniendi ad divinæ Gratiæ sensum internum, & Testimonium Spiritus Sancti, quæ obtinendæ divinæ Gratiæ ratio nullo non tempore, tam sub Veteris, quam Novi fœderis periodis, obtinuit. Sed quoniam isthæc nimis generalia plurimis videri possunt, & ad paucorum intellectum accommodata, adjiciemus nunc specialia quædam, & quæ usu magis cognita deprehenduntur.

II.) *De subsidiis specialibus, quibus acquiritur Spiritus S. Testimonium.*

Ad media specialia pertinent preces, quibus fides excitatur & corroboratur.

§. IX. Varii sunt modi & rationes speciales, quibus Deus cor hominis ad sui cognitionem salutarem perducere novit. Nos aliquas & ad praxin vitæ Christianæ accommodatas vias comme-

mo-

morabimus. Inter has primum locum jure occupant piæ & ardentes preces, conjunctæ cum constantia & cordis sinceritate. His enim fides & Gratia divina impetratur. *Sunt autem preces nihil aliud, quam vehementis animi nostri desiderium, quo imprimis divina Gratia sensum & dona cœlestia in corde nostro percipienda efflagitamus.* Ex superioribus (a) patet fundamentum precum, & quod preces devotæ ad salutem animæ sint necessariae. Illud vero perinde est, siue preces fundantur sermone, aut vocis concentu, aut meditatione, aut mente sola peragantur, modo quisque animum suum ad appetenda dona, uti fidem, spem, charitatem &c. per preces excitandum esse meminerit. Quomodo autem recte orandum sit, quem *Lutherus* alicubi inter initia imprimis gravem dixit laborem, qua via ad bene & secundum voluntatem divinam orandum perducamur, quam

U

va-

(a) Ex 5. 3. 4. 5.

variæ orationis sint species, & quæ
cujusq; statui & necessitati conveniat,
illud lines nostras excedit, & fortas-
sis alibi a nobis deducetur. Extant
interim libelli ascetici satis utiles &
luculenter hac de materia agentes,
quibus commode utimur, donec fun-
damenta, natura & usus orationis
cuique proprius ad pleniorẽ rei in-
telligentiam acroamaticè, Deo vo-
lente, commonstrabimur.

*Lectio S.
Scriptura-
ra.*

§. X. Succedit piis precibus *Lectio
Sacra Scriptura*, quam ideo precibus
postponimus, quia oratio est aliquid
intra nos, quod & omnium locorum
est atque ab omni, etiam ignarissimo
homine peragi potest; lectio autem
Scripturæ est aliquid extra nos, quæ
nec omnium est locorum, nec cujus-
vis facultatis, quia multi de plebe
sunt, quos characterum sive litera-
rum notitia fugit, ut legere nequeant
divinas Scripturas. Quomodo autem
in Scripturæ S. lectione cum fructu
versari oporteat, alij edisserunt. Nos
id

id tantum monemus, ut imprimis spectetur finis, cuius gratia legenda nobis commendetur Scriptura, qui est emendatio nostra, vera Dei cognitio, & amor ipsius tum proximi. (A)

§. XI. Ad subsidia specialia pertinent *Verbi divini auscultatio* & *meditationes sanctæ*, tum ex sacris literis tum aliunde haustæ, quibus animus noster sensim deducitur ad rerum celestium considerationem, & inflammatur amore adversus res divinas, & ad sensum divinæ Gratia percipiendum. Imprimis multum juvat, si quis dictum aliquod S. Scripturæ sibi bi pia meditatione perpendendum sumserit. Aut si quis præstita nobis divina beneficia pie meditetur. Uti si quispiam Christum Servatorem, ejusque sanctissimum meritum, crucentam passionem, & reliqua ejus in nos collata nobisque acquisita bona, devota contemplatione sibi intuenda

Meditationes sanctæ, & Verbi divini auscultatio.

(A) I. Tim. I, 5-7. Eccles. XII, 13.

proponat, atque hac similique consideratione fidem suam exfuscitet. (a) Atque imprimis videat, ut quam diutissime isti meditationi inhæreat, sicubi se vehementer commotum & ardenti affectu adversus res divinas inflammatum animadvertit.

*Custodia
cordis.*

§. XII. Diligens custodia cordis plurimum sane confert ad impetrandam divinam Gratiam & ad adipiscendum Testimonium cœlestis. Est autem custodia cordis diligens rerum observatio earum, quæ animum nostrum ingrediuntur, illudque ad amorem aut aversionem permovent, ut recte discernamus, quæ objecta sint admittenda, quæque rejicienda. Quod si enim objecta intra pectus admittamus eaque amplexemur, quæ divinæ voluntati repugnant; contra quædam respuamus & aversemur, quæ ad cœlestem vitam nos promovere possunt: evidens est, quod ad Spiritus S. Gratiam

(a) II. Tim. I, 6.

tiam ejusque Testimonium cor pro-
 vehi nequeat, quemadmodum, si ex
 adverso evitentur hæc pericula dili-
 genti cordis custodia & matura judicii
 circumspeditione, sequi omnino ne-
 cessum est, ut optatus desiderii no-
 stris respondeat successus.

§. XIII. Plurimum quoque tribui *Sacra-*
 debet *legitimo Sacramentorum usui,* *mento-*
 per quæ hominis mens, tanquam per *rum re-*
 signa exhibitiva externa & in sensu *ctus usus.*
 incurrentia deducitur ad partici-
 pandam Gratiam internam, atque af-
 ctus hominis pii excitatur ad con-
 templandam benevolentiam, amo-
 rem & magnitudinem meritorum
 divinorum.

§. XIV. Conversatio cum homi- *Conver-*
 nibus in divina sapientia eruditis & *satio cum*
 Testimonio Spiritus S. illustratis, ma- *homi-*
 gnum pondus habet ad profectum *bus eru-*
 Gratiæ cœlestis & acquirendi Testi- *ditis &*
 monii Spiritus S. copiam, utpote ex *sanctis.*
 quorûm moribus & vita, ad sancti-
 moniam composita, non modo mul-

tum proficere licet, verum etiam horum doctrina & institutione per plurimum junari mens potest, ut rectam tenere viam condiscat, quæ ipsum secure, & ambage remota, ad scopum, quo ire pertendit, ducat. Habet enim vivum docentis exemplum, quem admodum viva præceptoris vox nescio qui singulare, quod ad imitandum magis nos incendit, magisque propositas doctrinas animo imprimit, quam si simplicem tantum lectionem aut meditationis nostræ fiduciam sequamur.

*Lectio librorum
sacrorum.*

§. XV. Prodest tamen lectio librorum ab hominibus piis & eruditis eo proposito conscriptorum, ut lectores inde viam explicatam inveniant, quam & ipsi auctores fuerunt ingressi, & quam hi commodam alijs & salutarem existimant. Ita enim plurimos lapsus prævidere poterimus, quos alias non nisi tristi & pœnitenda experientia dediscemus. Multa interim compendia & admonitiones

ex lectione scriptorum, solidam eruditionem sacram continentium, hauriemus, quibus salutariter uti animumque nostrum instruere poterimus.

§. XVI. Ex hisce similibusque ad *Quale*
 ductis subsidiis, quibus hominis cor *cuique*
 ad sentiendum in se divinum Testi- *medium*
 monium Spiritus S. excitari potest, *fit eligendum.*
 quilibet illud sibi eligendum imprimis existimet, cujus ope se maxime promoveri animadvertit ad contemptum terrestrium, amorem rerum divinarum, pacem conscientiae, animi tranquillitatem, & bene beateque moriendum, nimirum ut semper exire paratus cor liberum, minusque impeditum per curas, quibus antea premebatur, habeat. Quale vero subsidium ad obtinendam hanc Grati-
 am eligendum sit illi, qui ignarus aut dubius inter initia consistit, ut ne deinceps aliud cum temporis detrimento adhibendam sit, relicto priori, illud prudentis doctoris aut amici
 U 4 est,

est, alteri, qui consilio isthoc eget, indicare. Prærequirimus autem, ut istiusmodi docens, qui alteri viam commonstrare audet, propria experientia, circumspectione atque prudentia haud vulgari subnixus docentis munere fungatur, Quibus destitutus docens parum commodi, satis autem perturbationis ipsius fidem secutis allaturus est.



CAPUT IX.

Quomodo cognoscatur se & alios Spiritus S. Testimonio donatos esse.

SUMMARI A.

Divisio capituli. §. 1.

I) Unde aliquis cognoscere possit, quod Spiritus S. Testimonium in se habeat.

Ipsa divinae Gratiae praesentia certum reddit animum de ejus veritate. §. 2.

Probatur Testimonium Spiritus S. testari de se ipso. §. 3.

Objicitur, nonnullos per verba, aut falsa sibi persuadere ex hoc Testimonio Spiritus S. §. 4.

Adducitur causa, cur sibi animus perversa dogmata persuadeat. §. 5.

Causa, cur animus falsa dogmata sibi persuadeat. §. 6.

Quibus rationibus homo certus esse possit de Spiritus S. Testimonio in corde. §. 7.

Ex quibus virtutibus cognoscatur, quod Spiritus S. Testimonio finis donati. *Pasientia.* §. 8.

Modestia. §. 9.

Laetitia & solida pax animae. §. 10.

Tolerantia, & beneficentia ad studium. §. 11.

Mortem nec efflagitare, nec horrere, sed expectare. §. 12.

II) Unde nobis innotescat, quod alii Spiritus S. Testimonio sint illustrati.

Argumenta, cur de alterius statu Gratiae interno nemo sci- quequam possit. §. 13.

Respondetur ad argumentum primum. §. 14.

Respondetur ad argumentum secundum. §. 15.

Respondetur ad argumentum tertium. §. 16.

Rationes, cur notitia de alterius statu Gratiae interno profit. §. 17.

Quotuplici modo alterius status alteri innotescat. §. 18.

Quid requiratur ad cognitionem alterius. §. 19.

Probatur, quod alter alterius animi habitum cognoscere possit. §. 20.

Fundamentum hujus cognitionis. §. 21. aliquis sit Gratia cœlesti donatus. §. 23.

Solus Deus plenissime novit illustratos luce sua. §. 22. Tempus & diuturna conversatio eo pertinet. §. 24.

Ratio cognoscendi, quod nemine ferri potest. §. 25.

§. I.

*Divisio
capitis.*



Apitis hujus inscriptio efflagitat, ut duo rerum momenta explicemus. *Unum* est, unde quisque de se ipso certus esse possit, quod Spiritus S. Testimonio sit donatus. §. 2. *ad 12.* *alterum* est, quomodo de aliis nobis innotescat, quod sint Spiritus S. inhabitante Gratia divina illustrati, & quod divinum ipsis Spiritus S. Testimonium obtigerit. §. 12. *ad finem.*

I) *Quomodo quis cognoscere possit, quod Testimonium Spiritus S. in se habeat.*

*Ipsa divisio
Gratiae præ-
sentia
certum
reddidit
animi
de ejus
divinitate.*

§. II. Demonstravimus supra (a) quod omnis rei certitudo, qua per suavisissimi animo sumus, proficiscatur ex objecti præsentis ad facultatem nostram

(a) Part. I. Gen. Cap. II. §. 4. seqq.

fram percipiendi applicatione. Hinc si objectum aliquod feriat aut veluti tangat animum nostrum, tunc de rei certitudine non amplius dubitare possumus. Ostendimus autem simul, (a) quod percipiendi facultas in animo debeat esse legitime disposita, sana & integra. Eadem est ratio cognoscendi in se certitudinem Testimonii Spiritus S. Deus est objectum reale infinitis perfectionibus pollens: (b) Anima aut cor nostrum est substantia, percipiendi facultate res & objecta divina donata. Ergo si cor & anima afficiatur a divina Gratia, lumine ejusque sanctis operationibus, tunc ex ipsius divini objecti presentia, quæ cor hominis attingit, aut quemadmodum Scriptura (c) loquitur, inhabitat, certissimus homo reddetur de hac sancta Spiritus Gratiæ presentia. (d)

§. III.

- (a) Part. I. Gen. Cap. II. §. 5. (b) Vid. Pars II. Special. Cap. II. §. 4. Cap. IV. §. 2. 3.
 (c) I. Cor. III, 16. II. Cor. VI, 16. Joh. XIV, 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. (d) II. Tim. I, 12. Apoc. II, 17.

Proba-
tur, Testi-
monium
Sp. S. te-
stari de
se ipso per
Scriptu-
ram.

§. III. *Ipsa igitur Spiritus Sancti
presentia, qua cor hominis penetrat, est
argumentum certissimum S. Spiritus
Testimonii.* Atque hoc est, quod Pau-
lus (a) & Johannes (b) dicunt. *Paulus*
enim inquit: *Ipsè Spiritus* (dum ni-
mirum incor hominis pii gratioso suo
influxu operatur, illudque divino lu-
mine suo illustrat) *testatur* (certū red-
dit hominem, per verbum suum in
scripturis, uti in externis homo fide di-
gnus alterum, de re incerta dubitan-
tem, confirmat voce & asseveratione
sua) *una cum spiritu nostro,* (ita qui-
dem, ut cor nostrum consciat aut per-
cipiat ea vera esse, quæ in se sentit,
cum attente considerat & cognita-
tionem intendit ad ea, quæ in se per-
aguntur) *nos esse filios Dei.* (Divinant
Gratiam ejusque lumen nobis, tan-
quam filiis ex divinitatis suæ hæredi-
tate ad nos dimanare, ut per Gratiam
hanc divinæ naturæ suæ fiamus parti-
cipes. (c) Eodem sensu *Johannes* lo-
qui-

(a) Rom. IX, 16. (b) I. Epist. V, 6. (c) I. Petr.
II, 4. I. Cor. VI, 17.

quitur: *Spiritus* (divina illa Gratia
Spiritus S. præsentia, de qua in sacris
 literis tam frequens. & luculenta
 mentio fit, & quæ cor nostrum irrigat
 & illustrat,) *is est*, (Nullus enim ali-
 us datur, qui confirmare cor de re di-
 vina possit: uti in externis nihil, quam
 ipsius solis præsentia mentem per ra-
 diorum suorum ad oculum appulsura
 confirmat, solem illuxisse.) *qui testi-
 ficatur*, (qui cor nostrum convincit
 atque ipsi per testem, omni exceptio-
 ne majorem, denuntiat) *Spiritum ver-
 itatem esse*, (a) (ea, quæ Deus in corde
 nostro nobis de divina sua Gratia per
 Scripturam patefacit, quæ animus no-
 ster ex ejus bonitate intelligit, esse in-
 dubiæ veritatis, licet nec sensus nec
 ratio naturalis hæc omnia assequan-
 tur, sed in medio vel relinquunt, vel
 ignorent.)

§. IV.

- (a) Addatur Dn. D. Cypriani Diff. in Panegyri Do-
 ctoralis Theolog. exhibita, in qua Analyfis fidei
 ex dicto I. Joh. V, 6. copiose proponitur &
 ab adversariis Pontificiis imprimis Socinia-
 nis & Arminianis vindicatur.

Objicitur: nonnullos perberſa aut falſa ſibi perſuadere ex hoc Testimonio Sp. S. §. IV. Sed dixerit forte quispiam: ſi res ita comparata eſt, ut tam liquido hæc interna dignoſcere poſſis, quam externa ſenſibus diſtinguuntur, unde eſt, quod multi hypochondriaci, Enthuliaſtæ, Fanatici aut ſimiles infirmioris judicii homines tam falſa & interdum abſurda ſibi perſuadeant, itaque etiam ſe illuſtratos eſſe divino lumine & Testimonio Spiritus S. ſatis confidenter pronuncient, qui tamen nihil minus, quam illud ſunt, quod videri volunt? De externis enim ſenſuum objectis nemo ſanus dubitat, ſolem in meridie lucere; ſed quis media nocte dicet, ſe radiis ſolaribus perſtringi? Aut quis tandem videndi facultate præditus ſive oculatus errorem errabit, ut exiſtimet, radios ſolares eſſe panem, quo homines aut beſtiæ alantur? Atqui circa internum illud lumen & Testimonium Spiritus S. errores non paulo abſurdiores avorum & noſtrorum memoria proditos eſſe ſcimus. Quare nulla forte erit Testimo-

mo-

monii interni certitudo, quæ periculum erroris excludat. Gemina est objectio: *una*, quod aliqui falsa sibi persuadeant, quibus aliquid veri tamen immixtum est: *altera*, quod aliqui falsa sibi persuadeant de rebus, quæ omnino non existunt, utrique autem fallantur. Respondeo distincte, sed breviter, ad utramque objectionem.

§. V. Quod aliqui falsa veris mixta sibi persuadeant, uti qui opinantur divinam Gratiâ immediate victum suppeditare corpori citra alimenta Christianum, quatenus in præsentis statu corpus & animam circumfert, esse plane spiritum, similiaque, illud inde est, quod nondum distinguere sciunt anime suæ diversas facultates, & quod objecta ad quamlibet facultatem seorsim pertinentia confundant. Hinc deterrimus hic cinnus oritur. Faciunt enim, quod illi, qui manibus videre, naribus audire, pedibus odorari aut sonum ore percipere gesti-

Ad ductur causa, cur sibi ani- mus per- versa do- gmata- persuadeat.

stunt. (a) Origo autem erroris inde est, quod præpropere nimis festinent ad ea promulganda, ad quæ ipsi ob defectum aliquem naturalem aut plane inidonei sunt, aut ad quæ recte discernenda longo demum temporis tractu opus habebant. Quoniam vero & ipsi aliquid, antequam oportebat, acturire fatagunt, inde mirum non est, quod absurda opinionum monstra parturiant. Propterea tamen istis periculum minime imminet, qui maturo iudicio & concessio sibi ad recte res percipiendas spatio utuntur, ut divinis nutibus, sacris literis proditis obediant, & ea demum proloquantur & agant, ad quæ, affectibus perpurgatis, se idoneos esse firmis rationibus experiuntur.

*Causa,
cur ani-
mus falsa
dogma-
ta sibi
persua-
deat.*

§. VI. Quod vero aliqui omnino falsa, & quæ nunquam contingere potuerunt, sibi persuaserint, illud ex *animi minus sana percipiendi facultate* & *ex presumta scientia opinione* pro-

(a) Vid. Pars I. Cap. III. §. 12. seq.

proficiscitur. Utique ictericus, qui objecta visus longe aliter contemplatur, atque uti sunt, aut qui imaginandi phantasiæ indulget, facile in eam defertur opinionem, quod omnia objecta sui visus colore flavo tincta sint, & quod hircocervus aut Pegasus re ipsa detur, quem tamen imaginatione tantum concepit, nunquam vero existere vidit. Aquo tamen errore recte videntibus, & rationalibus nullum periculum imminet. Et erat apud Athenienses, ni fallor non nemo, qui ob advenientes in portum naves mercibusque onustas, tanquam ad se pertinentes, sibi identidem gratulabatur. Horum autem falsa persuasio, qua se ipsos atque deinceps alios decipere amant, exinde oritur, quod cum ipsorum mens veluti ægra & indidonea adhuc sit ad res sublimiores recte capiendas, ipsi præsumpta de se opinione scientiæ, nolint ignorantiam suam ingenue profiteri & interim acquiescere. Inde ad ambitionem

X

nem

nem & quæ ambitionis pœna est, ad res & doctrinas enunciandas propelluntur, quæ nullibi, nisi in ipsorum imaginatione, locum invenire possunt. Communissimus illorum hac in re error est, qui percipiendi aliquam certam facultatem ultra objectum sibi debitum extendunt, uti qui Testimonium Spiritus S. ad divinas tantum res cognoscendas nobis datum, ad ideas & sensus applicant, & qui ex principiis Theologicis res & scientias ratione addiscendas, uti Medicinam, Politicam, Geographiam &c. deducere perperam nituntur. Repete, si lubet, quæ supra de hac re monuimus, (a) & satis manifeste erroris origo exinde intelligetur. Longe aliter autem comparatum est cum iis, qui animo humili, sincero, solo veritatis & Deo placendi studio secundum S. Scripturam agunt, sumpto sibi satis temporis spatio, ad cognoscendum semet ipsos & veritatem di-

(a) Part. II. Cap. VII §. 2. seq.

divinam. Tunc enim Deus fidelis est, qui ejusmodi Deo consecratum peccatus labi in errores animæ suæ aliisque perniciosos, aut divino Numini ignominiosos, nunquam patietur. (a)

§. VII. Hæc licet per se satis clara sint, desiderabis tamen regulam, unde scire certo queas, quod tua cordis perceptio circa ea, quæ a Testimonio interno proveniunt, vel erret, vel etiam vera sit. Quoniam fraudulentum cor hominis ipsum supra omnia & mortiferum est, ut non tam facile, monente Propheta (b) cognoscatur. Respondetur. Diximus supra, (c) quod error aut perceptio alicujus rei aliter deprehendi non possit, quam si ad exemplar, quod perfectum aut imperfectum sit, exigatur. Exemplar omnium perfectissimum est Deus cujus in sacris literis voluntas & rectitudo nobis panditur. Post Deum sunt homines, aut tales anima, qua pluri-

Quibus rationibus bono certus esse possit de Sp. S. Testimonio in corde.

X 2

mun

(a) I. Thess. V, 24. I. Cor. X, 13. (b) Jerem. XVII, 9. (c) Part. I. Cap. 9. 3. seq.

num virtutis, sapientia & lucis a Deo acceperunt. Itaque nosces errata aut perfectiones tuas, & in quo statu verferis, si te exegeris ad divinæ voluntatis iussa, quæ per sanam rationem & revelationem in sacris literis innotuerunt. Quo propius cor tuum ejusque propensio ad hæc accesserit, eo eris perfectior, & de Testimonio interno certior esse poteris, quoniam interna & externa Testimonia nunquam sibi contradicunt, sed cohærent. *Proximum* est, ut cum hominibus, qui sapientiæ divinæ & sanctitatis laude præstant, te conferas, & ad eorum virtutes, præstantiam vitæque innocentiam tui pectoris conditionem exæques, visurus in quantum concepta de te opinio cum ipsorum a Deo ipsis concessis donis & perfectionibus congruat aut discrepet, id quod de interni status tui certitudine haud leve argumentum esse poterit. Denique confirmabit tibi status tui interni habitum, si ad sapientiorum ho-

hominum rectæ rationis iudicium externos mores tuos, vitæque tuæ statum ordinatum videas, sic quidem, ut nullo honestatis, & proborum morum instituto vitæ tuæ ratio repugnet. Quod si ergo talia in te animadverteris, concludes, ejusmodi virtutes Spiritus S. Gratia in te habitantis argumentum esse.

§. IIX. Fieri autem solet, ut animus hominis probi & circumspecti semper, & quandoque plus justo diffidat, & inter pavores anxie versetur de divina Gratia Testimonio. Quapropter subjiciemus nunc adhuc alia Criteria, quæ cor hominis de Spiritus S. interna in animo præsentia certum reddunt. *Ex quibus virtutibus cognoscatur, quod Sp. S. Testimonio firmus illustrati.* Eo referimus aliquas virtutes singulares, quæ non nisi divinam Spiritus S. Gratia vim pro auctore agnoscunt, & ex quarum exercitio animus tuto apud se concludere potest, se majori virtute, quam naturæ vires ferunt, donatum adeoque Numinis cœlestis Gratia illustratum

Patientia.

tum esse. In quarum numero est *Patientia*, quando nimirum injurias ab aliquo contra jus & fas nobis illatas, ubi possumus, non tamen ulciscimur, sed ignoscendo erratis, ea ferimus aut excusamus, & illud quidem nullo alio fine, quam ut mitem & vere Christianum nostrum animum ostendamus, qui injuria nec lædi nec a benefaciendi studio adversus peccantes averti potest, quoniam cor & animus rebus humanis superior, divinam bonitatem imitatur, cum qua conjunctus est.

*Modestia
& animi
constans
magnitudo.*

§. X. Huc pertinet *Modestia & animi æquabilis constantia* in prosperis & durissimis temporibus, quæ æquabiliter res humanas fert. Cognoscens enim nimiam rerum inconstantiam nec prosperis nimium attollitur, nec adversis nimium deprimitur, sed justo pretio omnia æstimat, adeoque indifferenter & moderate omnia appetit & fert.

§. X.

§. X. Animi *Letitia* & non per- *Letitia,*
turbata tranquillitas in hoc numero *& solida*
 ponenda quoque est, quæ serenita- *pax animi*
me.
 tem suam servat constanti vultu, con-
 quiescens in internis, quæ perpetua
 sunt & quæ auferri a nemine possunt.
 Certissimumque divinæ Gratia signum
 est hæc animi lætitia, si isthæc
 perpetuo sibi constet nec concidat,
 licet externa præsidia, quibus homi-
 num spes innititur, nos destituant.
 Atque si illud quidem faciamus non
 pertinacia aut indolentia stoica, neque
 vana ostentatione ducti, verum confi-
 dentia quadam animi in præsidium
 cœleste, & rationis dictatis obsecuti.

§. XI. *Tolerantia inimicorum* & co- *Toleran-*
 rum, qui nobis sententia disjungun- *tia & be-*
 tur, juxta & constans universis bene- *nefacien-*
 faciendi studium, confirmat quoque *di studio*
um.
 Spiritus S. Gratiā nobis concessam,
 cujus rei exempla extant in S. Scriptu-
 ra. (a) Tolerare enim adversa, ubi
 depelli cum clade nobis mala infe-

X 4 ren-

(a) I. Petr. II, 23. Hebr. XII, 3. Apoc. II, 3.

rentium possunt, & benefacere, ob-
tinentibus sincero studio, cœlestis gra-
tiæ, non humanæ naturæ opus est.

*Mortem
nec effla-
gitare,
nec hor-
rere, sed
expecta-
re.*

§. XII. *Mortis intrepida & equabilis
expectatio* clarum inhabitantis Spiri-
tus Gratia testimonium est. Mor-
tem enim natura, deliciis vitæ irreti-
ta, vel incerta de futuro post fata statu,
aut horret, aut, impatientia & tœdio
miseriisq; vitæ coacta, ad suprema fata,
priusquam oportebat, properat. Quare
qui mortem nec efflagitat ex impa-
tientia, nec timet ob malam Consci-
entiam & incertitudinem de futuris,
sed adventante hora constanter &
tranquille expectat, divinitatis & gra-
tiæ cœlestis certo præsidio nititur.

II) *Quomodo nobis innotescat, quod alii
Spiritus S. Testimonio sint
illustrati.*

*Argumen-
ta, cur de
alterius
statu
Gratia*

§. XIII. An præter Deum & cor
hominis, cui Spiritus S. divinum Te-
stimonium obtingit, alius quicquam
scire possit de altero, quod scilicet
ejus

ejus cor divina Gratia & Spiritus S. ^{interno} donis vere sit auctum, variis ex causis ^{nemo} dubitari potest. ^{scire} *Primo* enim demon- ^{quic-} stratum a nobis (a) meminimus, quod ^{quam} Spiritus S. Testimonium, quo ali- ^{possit.} quis particeps factus est, se non extendat ad alium: hinc sequi videtur, quod neque hoc Testimonium a quoquam præter illum, qui illud consecutus est, possit sciri aut intelligi. *Secundo* Scriptura S. idem videtur affirmare. (b) Inquit enim, quod, qui vicerit, accepturus sit calculum album, & in calculo *nomen scriptum, quod nemo novit, nisi qui accipit.* *Tertio* videntur multa inde sequi incommoda. Quod si enim alteri innotescerent dona divina in alium collata, nosceret is simul illius cordis statum ejusque defectus. Paucissimi autem hominum ejus sunt indolis, ut scientia hac non abutantur, nimirum ut alterum vel nimium stu-

X 5

pe-

(a) Part. II. Cap. III. §. 4.

(b) Apoc. II, 17.

peant & extollant, aut nimium depri-
mant ipsique invideant, aut impru-
dentia sua, vel destinato consilio, ipsi
detrimento sint apud alios.

*Respon-
detur ad
Argu-
mentum
I.*

§. XIV. Hæc tamen non impedi-
unt, quo minus alterius status inter-
nus alteri non possit esse cognitus.
Quod antequam generaliter a nobis
ostendatur, breviter ad rationes alla-
tas quædam reponemus. Ad *primum*
quidem argumentum respondemus,
verissime traditum esse Spiritus S. Te-
stimonium internum ad alterum se
non extendere, sic quidem, ut ego al-
terius tranquillitatem, pacem, lumen,
scientiam & virtutes divinas numero
easdem & eodem modo, quo in alte-
rius pectus collatæ sunt, & in corde
ipsius existunt, in me sentiam & expe-
riar, quemadmodum iste, qui hæc om-
nia a divina Gratia accepit. Hoc
certe fieri non plus potest, quam si
gustum, quem ex pomo aut cibus a me
masticatis percipio, alteri possem per-
cipiendum concedere, qui cibum aut
po-

ponum a me comestum [non attigit. Aut si quis gustarit objecta, quæ ego gustus sensu percepi, certe sensum istum non ex mea, sed propria sua perceptione habet. Par ratio est in reliquis sensibus uti visu, auditu, sermone &c. Verum exinde non sequitur, quod divina dona alteri concessa ab alio animadverti non possint. Si enim aliquem italico sermone loquentem audio, iste, qui loquitur, linguæ suæ promptitudinem mihi concedere nequit, adeoque donum istud naturale se non extendit ad me; interim tamen, si gnarus sim istius idiomatis, scire possum ejusmodi hominem italice loqui, scire quoque possum & intelligere, an prompte & eleganter loquatur. Ita videns scire potest an alter sit cæcus, aut oculis præditus, licet hujus oculos ipse non habeat, nec habere possit, sed propriis suisque oculis illud percipiat.

§. XV. Ad Scripturæ dictum, quod adductum est, quod attinet, sciendum *Respondetur ad argumentum II.*

est, quod nosse hoc loco idem notare possit, ac in corde suo sentire vel experiri, & sensus hic est, quod nemo nosse, hoc est *sentire aut experiri* possit dona illa cœlestia homini sancto concessa, quam ille solus, qui hæc dona in cordis sui thesauro possidet & custodit, id quod supra (a) a nobis demonstratum fuit. Inde vero concludere non licet, quod nemo dona Spiritus Gratiæ alteri concessa in isto ne animadvertere quidem cogitatione, aut saltem probabili conjectura possit. Licet enim, ut exemplo satis perspicuo rem illustrem, auratam calamydem, qua aliquem Magnatum indutum video, ipse eo tempore non induere possim, nec experiri, quomodo corpori meo aptetur; certe tamen oculis meis animadvertere possum, eundem virum principem aurata calamyde indutum incedere: Sic dona cœlestia alteri collata ipse possidere nequeo; conspici tamen aut animad-

ver-

(a) Part. II. Cap. III. §. 2. seq.

verti in eodem, per indicia quædam
possunt. Conferantur *Biblia glossa-
ta Vinariensis* ad hunc locum, quæ
hanc nostram explicationem indicant
& proponunt.

§. XVI. Tertia §. XIII. objectio, *Respon-*
quæ incommoda urget, quæ metui *detur ad*
poterant, si dona divina cæteris in- *argu-*
notescerent, illud tantum evincit, *mentum*
quod non promiscue omnibus Deus *III.*
hanc concedat Gratiam, ut rectum,
aut ad minimū maxime probabile ju-
diciū ferre possint de donis alterius,
sed iis tantum, quos ad illud cogno-
scendum idoneos divina sua sapientia
prævidit, nimirum eos dignari hoc
munere solet, qui justum jam omni-
bus rebus pretium ponere didice-
runt, qui adhærentes homini defe-
ctus & vitia prudenter ferre, & de
meritis atque donis eximiis non plus
nec minus, quam par est, existimare
norunt. Quare nemo sublimem
hanc judicandi de alterius profe-
ctu scientiam sibi arrogare potest,
a quo

a quo objecta nobis §. XIII. pericula
metui possunt.

*Rationes,
cur noti-
tia de al-
terius
statu
Gratia
prosit.*

§. XVII. Hæc autem aliorum do-
norum recta cognitio in id prodest,
ut debite veneremur bonitatem di-
vinam, quæ tantis muneribus ad cir-
cumspeditionem nostram, etiam in
hac vita mortali dignatur corda se
diligentium, & ut ad exempla ho-
rum dirigamus vestigia nostra, ut
pari beneficio coronetur pietas no-
stra. Deinde ut ne desperemus iter
hoc, quantumvis arduum & mole-
stum, ingredi, aut illud ingressi ne
difficultate victi idem pertendere
dubitemus, cum ejusmodi exempla
eorum prostant, qui superatis iis,
quæ nobis longe impossibilia vide-
bantur, eo felici exitu delati sunt, quo
instituerant. Quorum præceptis &
experientia ad profectum nostrum
commode, sicubi voluerimus, eru-
diri possumus. Denique cognitio
alterius cautum & circumspectum
reddit hominem, ut quomodo πο-

λίτη

Alteuma sive conversatio sua instituenda sit inter homines, sciat.

§. XVIII. Unde vero, inquires, aut ^{Quot-}quo criterio certo cognoscam, ali- ^{plici mo-}quem divina Gratia & Spiritus S. ^{do alte-}Testimonio atque lumine esse illu- ^{rius sta-}stratum? Respondeo: Criteria co- ^{tus altero}gnoscendi internum hominis alterius ^{innoto.}statum sunt vel *immediata*, & veluti per contemplationem fiunt, id quod soli Deo perfecte corda scrutanti proprium est, (a) vel *mediata*, quæ ab effectibus quibusdam colliguntur per argumenta. Uti cum mores vultumque hominis alicujus visu & consideratione propria contemplor, *immediate* hæc omnia intueor, atque de his pronuntiare possum; si vero editas ab isthoc. actiones, conversationem, studia, promptitudinem similiaque intellexi, *mediate* ab effectibus per argumenta de ipsius indole judicium ferre possum. Prior cognoscendi modus, sicubi ha-

beri

(a) I. Reg. VIII. 39.

beri posset, omnino perfectior censendus est posteriori qui hominibus tribui potest.

Quid requiratur ad cognitionem alterius. §. XIX. Antequam ad modum & criteria cognoscendi alterius animi habitum & Gratiæ statum explicanda progrediamur, notandum imprimis est, neminem certum rectumque de altero proferre posse iudicium, nisi in eodem statu, in quo is, de quo pronunciandum est, versatur, constitutus sit; hoc est, nullum esse idoneum ad alterius hominis Gratiæ statum cognoscendum, nisi iste, qui iudicium de aliquo fert, *majoribus aut, ad minimum, paribus perfectionibus & Gratiæ donis sit donatus*, quam is, de quo pronunciandum est. Inferior enim de superiore nunquam sine erroris metu pronunciabit. Uti infans, quid virum ornet, non intelligit; vir autem de viro, aut senex de viro, utrique autem de infante iudicare possunt, quid ipsi conveniat, & qua indole animique habitu præditus sit.

§. XX.

§. XX. Quod homo paribus aut ma-^{Proba-}
 joribus Gratia donis illustratus in al-^{tur, quod}
 tero paria sibiq; æqualia dona cogno-^{alter al-}
 scere possit, probatur hoc axioma-^{terius}
 nemini forte obscuro: *Qui in eadem*^{statum}
scientia versati sunt sibi que similes per-^{animi co-}
fectiones acquisiverunt, illi se ipsos in-^{gnoscere}
ter se, quoad hanc scientiam, quam
uterque intelligit, cognoscunt, sciunt-
que alterius perfectiones. Pronun-
 ciatum hoc universale est. Pictor,
 qui pingendi arte claret, videns suæ
 professionis hominem ex imagine
 efficta aut ex modo ipsius pingendi
 percepto judicat statim, ejusmodi
 hominem eadem pingendi peritia
 gaudere. Geometra audiens aut
 videns alterius Geometrae principia,
 mox animadvertit, quousque is in
 geometricis principiis processerit.
 Philosophus intuens differentem suæ
 sectæ aut scientiæ Philosophum,
 idem de ipso, ejus sententiis & Philo-
 sophica scientia fert judicium. Ita
 Theologus de Theologo, sapiens de
 Y fa-

sapiente, linguæ alicujus gnarus de altero linguam eandem loquente certo novit, quibus perfectionibus alter gaudeat. Par in omnibus scientiis, imo etiam in ipso vitiorum habitu inter sui similes est ratio.

*Fundamentum
hujus cognitionis.*

§. XXI. Quæres forte axiomatis hujus fundamentum, & quæ causa subsit, quod quis alterius mentem & scientiam cognoscere & veluti illustrare possit. Cujus quidem rei ratio hæc est, *quod, quæ ex uno principio & origine deducuntur, habeant similitudinem aut equalitatem naturæ.* Quæ vero similitudinem aut convenientiam naturæ habent, illa societate inter se, respectu originis suæ, junguntur. Quæ autem societate inter se junguntur, jam se cognoscunt, & indolis suæ rationem intelligunt. Igitur si Deus, a quo, teste Jacobo, (a) omne donum bonum & perfectum descendit, cum aliquo per media ordinata scientiam aliquam v. g. phy-

(a) Cap. I, 17.

physicam aut moralem communi-
 cat, eandem scientiam quoque alte-
 ri alio in loco concedit, certe ista
 scientia respectu divinæ originis erat
 una & apud auctorem aut largito-
 rem hujus scientiæ Deum sibi con-
 formis, aut, si ita dicere licet, similis.
 Hinc doctus doctum, licet diversis
 locis & temporibus viventem, arti-
 fex atificem, miles militem, Philo-
 sophus Philosophum, pius pium, &
 contra stultus stulti indolem, profa-
 nus profanum, indoctus indoctum,
 absurdus absurdum, adulter adulte-
 rum, ambitiosus ambitiosum, avarus
 avarum, contentiosus contentiosum,
 obtrektor obtrektorem &c. co-
 gnoscit, eumque, quantum commo-
 dum suum permittit, amat & cum
 eo conjungitur. (a)

§. XXII. Quod etiam singulari *Doctrina*
 affectu divina Gratia illustrati ad- *de cogni-*
 versus se mutuo propendeant, adeo- *tione al-*
 que semetinvicem quodammodo *terius*
probatas
ex Scri-

Y 2

CO-
 ptura

(a) Joh. XV, 19. I. Joh. IV, 5. 6.

cognoscant, docet idemque nobis observandum commendat *S. Johannes* (a) cum inquit: *Quisquis credit Jesum esse Christum illum,* (nimirum qui nos prior dilexit & vult, ut fratres quoque diligamus (b)) *ex Deo genitus est: & quisquis diligit eum, qui genuit, diligit etiam eum, qui ex eo genitus est. Per hoc cognoscimus, nos diligere filios Dei, quum Deum diligimus.* Quorum verborum sensus alius esse nequit, quam hic, nimirum ut qui ex Deo genitus est, habeat & experiatur hunc amoris divini affectum in animo suo, ut alium, quem cognoscit ex Deo genitum esse, amore & propensione singulari prosequatur. Cum vero omnis amor secundum rationis & verbi divini ductum non sit cæcus, ut cum impetu citra cognitionem saltem generalem ruat in rem aut hominem amandum sibi non perspectum,

(a) I. Joh. V, 1. 2.

(b) I. Joh. IV, 19. 21.

ctum, sequitur Johannem dicere voluisse, genitum ex Deo per Verbum cognoscere alios ex Deo genitos filios, adeoque origine & cognatione sibi similes & veluti affines. Quod quamprimum ab homine divina Gratia prædito cognoscitur, si cœlestis illa generatio ex Deo vera est, excitat statim in ejusmodi hominum pectore amorem mutuum, quo in semetipsos ferantur invicem, uti expressa ex S. Johannis Epistola adducta verba (a) docent, ubi tanquam criterium certissimum divinæ regenerationis, & quod quis a DEO genitus sit, ponitur, si quis alium a Deo genitum amore complectatur, quoniam scilicet idem generationis cœlestis principium & originem habent. Hinc se mutuo Fratres a Deo generati amant, amare autem secundum rationem & revelationem recte se nequeunt, qui se nulla ratione cognoscunt. Itaque conclu-

Y 3

den-

(a) I. Joh. V, 1. 2.

dendum est, ex Deo genitos filios
aut fratres & se invicem cognoscere,
& identidem se mutuo amare.

*Respon-
detur ad
objectionem.*

§. XXIII. Quod si objiciatur, tol-
li ex hac hypothesei καρδιουργωσιαν, si-
ve scrutinium cordium soli Deo pro-
prium, quippe cum in Scriptura (a)
solum Deum corda hominum nosse
dicatur, illud ex imperitia objicien-
tium, veram hypotheseos nostræ sen-
tentiam ignorantium proficiscitur.
Cum enim dicitur, hominem ex Deo
genitum aut divina Gratia illustra-
tum cognoscere alios, sensus non
est, quasi homo immediate & intui-
tive statim, citra omnem errorem,
per suas vires, aut lumen proprium
naturale cognoscat statum alterius,
sed sententia potius hæc est, quod
homo divina Gratia præditus per
hanc ipsam sibi a Deo concessam lu-
cem aut Gratiam cognoscat alios,
non quidem immediate & contem-
plative, quod omnino solius Dei est,
sed

(a) I. Reg. VIII, 39.

sed per effectus quosdam, & per divinam Gratiam aut lumen cœleste homini regenito ad prudentiam spiritualem adhibendam concessio, quod etiam Psalmista de divina luce asserit: *In lumine tuo videbimus lucem*, id est, per tuam divinam Gratiam cognoscemus, quid sit cœlestis veritas, & custodiemur a tenebris hominibusque malis per hanc ipsam lucem tuam divinam. (a) Imperfecta itaque est cognitio hominis de altero, & a posteriori desumpta, eum contra Dei κατὰ διογνώσια sit absolute perfecta & a priori, tanquam e longinquo (b) ducta. Quinimo nec cordium humanarum cognitio soli Deo propria ipsi non fuit sublata, sed origi-

Y 4 ne

(a) Psalm. XXXVI, 10. Ubi textus originalis Hebraeus hic est: **יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ**; Quod licet Junius & Tremellius verterunt: *in luce tua fruamur luce*; veritati tamen Hebraicæ convenientior est translatio Arriz Montani: *in lumine tuo videbimus lumen*. Est enim **יְהוָה** Ima Fut. plur. Kal. a rad. **יָדַע** vidit. Quæ propria vocis significatio perpetua est.

ne & essentialiter mansit semper Deo propria, licet per divinum Spiritus S. lumen & Gratiam cœlitus immediate, uti videtur, concessam cognovit *Petrus* cor *Ananiæ & Sapphiræ* (a) & *Paulus* fraudes & scelera *Elymæ* (b) atque *Simonis*. (c) Ut nihil hic de sanctis in Veteri & Novo Fœdere viris, quibus hanc cognitionem obtigisse legitur, pluribus exemplis commemoremus.

*Solus Deus
us plenissime
nobis illustratos
lucis sua.*

§. XXIV. Quoniam vero solus Deus omnium perfectionum summam in se continet, ex cujus plenitudine atque bonitate cœteri particulam tantum decerpunt, sequitur, quod solus Deus immediate per contemplationem corda hominum certissime perlustrare & perspecta habere possit. Cœteri, qui cum Deo conjuncti sunt, aut ab eo dona cœlestia acceperunt, pro ratione donorum suorum ex parte tantum alterius

(a) Act. V, 3. 8. 9. (b) Act. XIII, 9. 10. (c) Act. IX, 21.

rius statum & imperfecto cognoscent, in quo tamen summa diligentia, moderatio animi & circumspectio adhibenda ipsis incumbit, ni falli velint.

§. XXV. Inter argumenta, quibus *Ratio cognoscendi aliquem* homines mediate per effectus de alterius statu Gratia interno certiores reddi possunt, locum occupant etiam *Gratia celesti donatum.* illa, quæ capite hoc §. 7. ad II. a nobis adducta sunt, ad explorandum nostrum cordis proprii statum. Sed præter hæc omnia videtur illud esse consultissimum, si prius consideremus hominis, quocum agitur, naturalis conditionem, indolem, & ipsius naturæ in se spectatæ propensionem, animique passiones. Deinde spectetur, quousque has passiones & affectus suos natura sibi congenitos moderari possit, aut quibus in casibus & ex qua ratione has moderari soleat. Tunc enim elucescet, quantam vim habeat natura & passiones animi citra internum Gratia præsidium, & e contrario, quantum deinceps divinæ

virtutis receperit, qua subnixus reprimere motus naturales inordinatos valet. Itaque si videas hominem, quem ambitio aut aliud quoddam vitium per naturæ necessitatem agitare solebat, eundem vero alio tempore spectes, quod animi hunc instinctum represserit, nec aliæ adsint causæ, cur hoc ipsum faciat, quam ut animum emendet, ut Deo & hominibus probis placere possit, concludendum est, illud ipsi ex cœlestis Gratiæ nutu obtigisse. Imprimis si illud constanter, & sine affectata dissimulatione, quæ se mox ex hac, mox alia parte prodere solet, agat. Par de cœteris naturæ vitiis & affectibus iudicium est.

*Tempus
& diu-
turna
conser-
vatio
operati-
vet.*

§. XXVI. Ut tamen hominis animus subdolanus & ad decipiendum semetipsum aliosque maxime comparatus est, si commodum aut existimatio ipsi præmium sit, hinc *longa temporis diuturnitas & conversatio familiaris* præstantissima videtur esse ratio, cognoscendi alterius internum ani-

animi habitum, Gratiaëque divinitus collataë mensuram. Temporis enim tractu ea facile, quæ fraude & dissimulandi arte ascita sunt, tanquam flosculi concidunt, quæ vero interno cœlestium donorum præsidio ostenduntur, indies majus robur capiunt, pulcriusque in vita hominis effulgent.

§. XXVII. Illud adhuc superest, *Judicium* ut notetur, quod, cum homo, etiam *immutabile de* in statu Gratiaë, semper libertate sua *nemine* animi facultates suas, quo voluerit, *ferri de-* convertendi gaudeat, status etiam *bet.* suus internus, quoad donorum cœlestium & Testimonii Spiritus S. possessionem *fit mutabilis.* (a) Quapropter, si de aliquo ferendi iudicii necessitas nobis injungatur, (id quod sponte & inconsulto nunquam faciendum est) caveri oportet, ne, quemadmodum semel certissime animo fuimus de alterius Gratiaë statu persuasi, ita semper existimemus, ipsum ita perstitisse,

(a) Vid. Pars II. Cap. I. §. 12.

se, quoniam vel in melius proficere, vel in deterius labi quisque potest. Hinc præsentis temporis articulus & status cujusvis, de quo pronuntiandum est, non uti olim fuit, sed quemadmodum nunc invenitur considerandus est.

CAPUT X.

De officio docentis alios, eosque manducentis ad internum Spiritus, Testimonium.

SUMMARI A.

Homines indigent docentis officio. §. 1.

In docente spectandus animi habitus ejusque officium.

§. 2.

In ANIMI HABITU spectanda voluntas benefaciendi, & rerum intelligentia. §. 3.

Absit a voluntate malitia, & vitia reliqua. §. 4.

Inprimis impatientia & amarulentia. §. 5.

Intellectus recta rerum intelligentia gaudeat. §. 6.

Intelligentia rerum requiritur exquisita. §. 7.

Intelligentia conjuncta sit, oportet cum discernendi prudentia. §. 8.

OFFICIUM docentis est disponere corda, ad recipiendam Gratiam. §. 9.

Quomodo ea, quæ Gratiam impediunt, cognoscantur. §. 10.

Quomodo cor disponendum sit ad Gratiam. §. 11.

Reliqua docentis officia. §. 12.

Exemplum docentis optimus doctor est. Ejus præces. §. 13.

§. I.

§. I.

Homines naturali contagio *Homines indigent*
 infecti, sine scientia ignari, *docentis*
 sine lumine & doctrina *officij.*
 Spiritus S. cœci nascuntur.

In infantibus enim videre est, quod omni disciplina & rationis usu destituantur, sensibus autem & pravæ cupiditati se penitus mancipient. Rationem vero & sensus ignorare Spiritus S. Testimonium & dona cœlestia, probatum est a nobis. (a) Dandus proinde dux est ignaris, & iste quidem *ingenuus & eruditus*, qui ipsos in via veritatis ad cœlestem vitam instituat, ut, qui proficere ad animæ salutem in rebus sacris voluerint, recto itinere, quo contendunt, proficisci possint.

§. II. In doctore videndus docentis *In docentis*
animi habitus, ejusque *officium.* *respe-*
ctandus
 Animus Doctoris Ecclesiæ ideo no- *animi*
 bis considerandus est, ut ipse sciat, *habitus*
 quid *ejusque*
officium.

(a) Part II. Cap. I. §. 4. 5.

quid ad obeundum officium hoc sacrum efflagitetur, aliique intelligant, quid ab eodem expectare possint. *Officium* ejus, in quo consistat, ideo tradendum est, ut quomodo rerum cœlestium ignari, id est, sensibus & rationi naturali adhærentes, ad salutis suæ & vitæ beatæ possessionem commode traduci possint, cognoscatur. De utroque nunc breviter.

In animi habitu spectanda soluntas bene-faciendi & rerum intelligentia. §. III. Duo sunt, quæ in doctoris *ANIMO*, qui alios ad cœlestem vitam instituit, requiruntur, quorumve defectus ipsum ad obeundas has partes inhabilem reddunt. *Primum est*, ut velit aliis sincero studio ad Gloriæ divinæ illustrationem animarumque salutem prodesse: *Secundum*, ut rerum divinarum gnarus sit, & rationem intelligat perducendi ignaros ad viam salutis. His opponitur *malitia & ignorantia*, quæ si adfuerint homini, sacrum officium obire auso, dici vix potest, quantum damni animis, curæ suæ creditis, inferatur.

§. IV.

§. IV. Ad *malitiam* animi referenda sunt vitia, quæ in Ministro Ecclesiæ reprehendit *Apostolus Paulus* in *Epistolis ad Timotheum & Titum*. Quæ tanto minus ferri possunt in homine sanam doctrinam professo, quanto majori cum dedecore iis vitio verti solent, qui vitam vulgarem amplexi a rerum divinarum tractatione quam remotissimi sunt. Inter hæc referendus ipsorum est genius, qui dicente Apostolo (a) pietatem quæstui habent, & arguuntur, quod velint ditescere, qui ventrem colunt, (b) qui inflati sunt, (c) similesque, qui in reliquis Epistolarum Paulinarum capitibus notantur.

§. V. Eo quoque pertinet *impatientia* animi & *asperrima redarguendi amarulentia*, non quod vitia non sint coarguenda, sed eo tantum nomine hæc improbanda est acerbitas, quod intempestivis exagitationibus opprobriisque vitia hominum irriterentur.

(a) 1 Tim. VI, 5. (b) Phil. III, 19. (c) 1 Tim. VI, 4.

tentur magis, & exulcerata multo difficilius sanentur, quam si animi lenitate, cui morum gravitas conjuncta sit, peccantibus adhibita foeditatem flagitiorum, virtutum oppositu, emendemus. Cæterum, temporis partem medicinæ concedentes, feramus interim, quæ semel in melius restitui nequeunt, modo nihil, quod nostræ est diligentia, omittamus. Et habes impatiens castigandi amarulentia illud incommodi, ut multos, qui mitiori disciplina in melius emendari potuissent, inter initia a recto statim avertat, quos moderatio, lenitas, adhortatio, exemplum & mansuetudo, favente tempore, ad sanctimoniam vitæ reduxisset. (A)

Intellectus re-
ctus re-
rum in-
telligentia gaudeat.

§. V. Ad rerum intelligentiam pertinet, ut docere alios eosque reducere volens ad percipiendam divini Spiritus Gratiam, ipse solidam re-

(A) Vid. I. Tim. V, 1. 2. II. Cor. V, 11. & glossam Lutheri ibid. Tit. III, 2. 3. Jac. III, 13.

rerum divinarum cognitione sit instructus, ut recte consulere iis, qui abs se institui optant, possit. Quomodo enim erudire alios, uti par est, possit ipse in summa rei ignarus. Nam si cæcus cæcum viam commonstrare instituerit, *Christo* affirmante, (a) necessum est, ut ambo præcipientes in foveam concidant. Neque enim fieri potest, ut, qui oculorum facultate destituitur, aliis videndi copiam facere queat. Et hæc est ratio, cur *Apostolus* jubeat, ut qui munus docendi obire cupiunt, non modo ipsi prius discant, verum etiam explorentur. (b) Nam, sapienter monente *Epicete* (c), magni periculi est, statim evomere, quod nondum concoxeris.

§. VII. Neque vero superficialia, ^{Intelli-} aut ultra primas lineas progressa sci- ^{gentia} entia in docente requiruntur, sed ex- ^{rerum re-} actior, quam Theologi Acroamati- ^{quiritur} ^{exquisi-} ^{ta.}

Z

cam

(a) Matth. XV. 14. Luc. VI. 39. (b) I. Tim. III. 10.

(c) Enchirid. Cap. XLIX.

cam vocant, & quam Doctoribus & Ministris Ecclesiæ convenire tradunt, (a) hoc est, talis, quæ non modo capita doctrinæ Christianæ habet cognita, verum etiam adeo exacte circa rerum momenta, quæ Christianum constituunt, versatur, ut quid cuique homini credendum faciendumque sit, ut Deo placere possit, citra errorem determinare possit. Quisquis enim ex dimidio tantum rem cognoscit, falsa veris, salutaria noxiis miscet, & plus damni, quam commodi Ecclesiæ sub specie veritatis, quam non integre complectitur, infert. Commemorare hoc loco non alienum erit egregiam sententiam *F. Quintiliani*, (b) docentis; quemadmodum prima elementa tradenda sint, atque de docente sic pronunciantis: *De Pedagogis hoc amplius, aut ut sint eruditi plane, quam primam esse*

CURAM

(a) Hebr. V. 14. Vid. *Rönig's Theol. Pos. Proth. S. 23. p. 3.* *Quenst. System. Part. I. Sect. I. Cap. I. Thef. XIX. p. 9.* (b) *Instit. Orat. Lib. I. Cap. I.*

*curam velim, aut se non eruditos sci-
ant. Nihil enim pejus iis, qui pau-
lum ultra primas literas progressi fal-
sam sibi scientia persuasionem induer-
unt. Nam & cedere precipiendi pe-
ritis indignantur, & velut jure quodam
potestatis, quo fere hoc hominum genus
intumescit, imperiosi atque interim sa-
vientes stultitiam suam perdocent.
Nec minus error eorum nocet majori-
bus. Siquidem Leonides, Alexandri
Pedagogus, ut a Babylonio Diogene
traditur, quibusdam eum vitiis imbu-
it, quæ robustum quoque & jam maximum
Regem ab illa institutione puerili, sunt
secuta. (a)*

§. VIII. Hæc exactior rerum sa-
crarum scientia eo pertinet, ut ejus
ope sciat Minister verbi, quomodo
versari oporteat in domo Dei. (b)
Cujus præclara pars est, ut eorum,
quos instituit, statum, conditionem,
& quid cuique conveniat, dignoscere
sciat. Nimirum aliter cum homine

*Intelli-
gentiæ
conjuncta cum
discer-
nendi
prudentia.*

Z 2

fla-

(a) Vid. Jacobi III. 1. 2. (b) I. Tim. III. 15.

flagitioso, aliter cum pœnitente, & qui criminum conscientia tangitur, aliter cum incipientibus, aliter cum profectioribus agendum est. Postulant nonnullæ conscientia afflictae consolationem, aliqua severam ob-
jurgationem, alia adhortationem, alia instructionem. Quo certe loco non modica doctrina & prudentia opus est, ut quid cuique conveniat, rite dispensetur. Imprimis vero ne Lex ubi Evangelium, & Evangelium ubi Lex, hoc est, ne lenitas pro severa castigatione, rigor loco lenitatis adhibeatur, cavendum. Quod recte & convenienter discernere posse, *Lutherus* summi Theologi & Gratiae coelestis eximia documentum esse pronunciat.

*Officium
docentis
est dispo-
nere cor-
da ad re-
cipien-
dam
Gratiam.*

§. IX. Viso animi habitu in docente, de ejus officio breviter tradendum est. Cujus summa in eo versatur, ut homines ignaros ad percipiendam in ipsorum pectore Gratiam coelestem adducat. Quod ut efficiat notan-

notandum est, neminem docentium ipsam Gratiam divinam auditori aut curæ suæ commisso præstare posse, sic quidem, ut ipsi intelligentiam aut influxum cœlestem in pectus suum largiatur, quod solius Dei munus est. Universum itaque docentis munus in eo tantum versatur, ut hominis cor a Deo aversum disponat ad excipiendam Gratiam a solo Deo ipsi concedendam, ipsique impedimenta indicet, quæ obstant, quo minus ad participandum lumen cœleste & Gratiam divinam pervenire possit. Quemadmodum enim medicus oculo cataracta impedito non lumen ipsum præstat ut videat, sed pelliculam tantum, id est, impedimentum scilicet cataractam oculo adimit, quæ lucis illapsam in oculi fundum impediēbat: sic qui alterum ad Testimonium Spiritus S. manuducit, non ipsum hoc sanctum Spiritus Testimonium cordi offerre potest, verum impedimenta tantum indicat, quæ si removeantur, divi-

na Gratia per se ipsam cor hominis illustrabit. (a)

*Quomodo
dicitur,
que Gra-
tiam im-
pediunt,
cogno-
scantur.*

§. X. Quomodo ergo hominis cor a docente disponi debeat ad recipiendam Gratiā cœlestem, quomodo itidem impedimenta alteri indicanda sint a doctore isti, qui Testimonium Spiritus S. in se sentire exoptat, quæri potest? Gemina est quæstio, nec minus explicatu ardua, quam ubertate argumenti copiosa. Quod ad posteriorem quæstionem attinet (comittamus enim *ὅτε ἔγωγε ἠέρε-εγώ*) nimirum *quomodo animo sensibus ac rationi addicto, & ideo Testimonio Spiritus S. destituto, impedimenta, que ipsam a lucis cœlestis sensu arcent, demonstrari a docente conveniat, hæc speciatim citra subjectorum, quibus consulendum est, considerationem explicari non potest. Quoniam enim infinita in hominis corde existere possunt obstacula specialia, quæ Gratiæ cœlestis copiam impediunt, tot quo-
que*

(a) Luc. XI. 36. II. Cor. III. 14. 15. Esa. LIX. 1. 2.

que in specie indicanda essent criteria & remedia, quibus ista tollantur. Id quod brevitatem operis nostri, quod primas tantum lineas hoc in argumento duxit, excedit, & singulari volumine explicandum foret. Generalis interim statui potest hæc regula: *Quicquid animum nimium, quam par est, sensibus aut solis ideis affigit, illud Gratia & Testimonii Spiritus S. de Gratia impedimentum est.* Ratio hujus regulæ est, quod sensus & ratio Testimonium Spiritus S. & Gratia influxum nequeant recipere, uti demonstratum est (a). Unde vero, inquires, cognoscam, quod nimium, quam par est, sensibus aut rationis ideis inhæream? Respondetur: Ex amore, quem in te sentis adversus res, quas tractas. Mensura enim appetitus & cupiditatis adversus aliquod objectum nosci potest ex ejus amore & studio in illud, & ex tristitia, qua affligor, quando mihi quicquam adimitur.

Z 4

tur.

(a) Part. I. Cap. I. §. 16. 15. Part. II. Cap. I. §. 4. 5.

tur. Amor autem recte ordinatus meus non debet excedere rei, quam cupio, dignitatem aut valorem. Hinc si rem perituram, uti sunt omnia sensuum objecta, amem, uti rem perennaturam, peccat amor meus, quia nimium; quam par est, aestimat objectum fragile. Atque hujusmodi amor peccans semper obstat Gratiae & Testimonio Spiritus Sancti, quoniam solus Deus ejusque Gratia dignissimum est objectum, cui soli amore nostro inhærendum est. (a) Hinc altera generalis regula emergit, unde cognoscere licet, quid Gratiam alicujus in corde impediatur, estque hæc: *Quæ objecta sensuum, & quæ idea ita amantur, ut ipsa tanquam magni quid, æterni, aut quibus salus præcipua innititur, aestimemus, illa Testimonium Spiritus S. impediunt.* Aut, quod idem est, brevius: *Qui amor ultra objecti aut rei dignitatem rem aut objectum amplectitur, ille obstaculum est Gratiae divinae & Testi-*

(a) Matthi. XXII. 37. Deut. V. 5.

Testimonii S. Spiritus Quilibet vero sub hisce generalibus regulis teste propria conscientia, facile subsumere poterit, quibus explicandis in specie officium docentis vivum utiliter prodesse potest. Docens etiam, nisi ipse lumine & Gratia divina prorsus fuerit destitutus, facile applicando regulam intelligit, quid de terrestribus removeri oporteat, animo ad celeste Testimonium contendenti.

§. XI. Altera est quæstio, *quomodo animus alterius recte disponendus sit, ut Gratiæ divine influxum in corde sentiat & experiatur?* Ostendimus supra (a); quod accurate loquendo, unicum tantum sit subsidium perveniendi ad Gratiæ celestis Testimonium: istud vero maxime in eo reperitur, ut *desiderium hominis Christi ope & per fidem salutarem mediante verbo a rebus terrestribus & vanis ideis ad Deum convertatur.* Indicavimus eodem capite §. 5. nonnullas rationes

Quomodo cor disponendum sit ad Gratiam.

(a) Part. II. Cap. IIX. §. 3. 4.

nes, quomodo eo perveniatur. Ex quo facile intelligitur, in quo docentis alios Spiritus S. Testimonium versari debeat munus, scilicet in eo, ut amor & cupiditates hominum avertantur a rebus terrestribus ad divinam Gratiā, ut eorum intellectus, voluntas, lætitia & spes in Deo ejusque auxilio conquiescat, & ut beneficio Redemptoris, & ejusdem sanctissimo merito nixi, adspirent ad possidendas res æternas.

*Reliqua
docentis
officia.*

§. XII. Erit adhuc de docentis officio Spiritus S. Gratiā, ut auditori & curæ suæ commisso ostendat, quonam præcipue subsidio, quave via præ cæteris ad naturæ suæ statum accommodata uti conveniat, ut a vitiis sibi adhærentibus liberetur, quid ex parte sua agendum sibi incumbat, in quo statu res suæ internæ versentur, & quomodo proficere sine offensus diculo omnium facillime possit. Diligenter autem commonere, ut plus operæ & temporis impendatur, quem-
ad-

admodum Christiani quoque officii ratio postulat, animæ culturæ & rebus salutem æternam promoventibus, quam hisce terrestribus, momento forte perituris.

§. XIII. Quæ commonitiones ^{Exem-} maximum habituræ sunt pondus & ^{plum do-} fructum, si post divinæ Gratiæ opem & ^{centis o-} doctrinas, docens ipse *exemplo* præ- ^{ptimus} at, & efficiat, ut ex ejus vita, moribus ^{doctor} & fide eluceat, se doctrinas suas non ^{est. Ejus} ostentatione scientiæ, sed usu com- ^{preces.} pertas, ad utilitatem discantis certissimam proferre. Quoniam enim torpori hominum semper inservire ad excusationem solet illud: *dicere facile, prestare vero difficile*: hinc vix nulla recitius commoventur ad imitandum auditores, quam si volentibus exempla potius, quam verba ad officium Christiani explendum proponantur, & cum docens non consultor modo, sed dux etiam & comes in vera salutis via existat. (a) Preces quo-

(a) Add. Part. II. Cap. IIX. §. 15.

quoque & ardens illius ad Deum oratio pro auditorum suorum profectu eximum pondus habitura est, ut felici successu in sancto suo instituto promoveantur. (a)

(a) Jac. V. 16. Eph. I. 15. seq.

CAPUT XI.

De officio eorum, qui ad percipiendum Spiritus S. Testimonium internum manuduci cupiunt.

SUMMARIA.

Generale officium primum est cognitio nostri. §. 1.	Et ore agendum sit imperito. §. 17.
Ignorantiae & fœditatis nostrae agnitio. §. 2.	Quo indicio cognoscatur Doctor verus. §. 8.
Rectus & constantis in fœcto proposito animus. §. 3.	De aliis criteriis. §. 9.
Proficimus vel per nos ipsos, vel ministerio alterius. §. 4.	Discipuli officium est confidere docenti. §. 10.
Commendatur puritas & examen conscientiae. §. 5.	Eidemque obtemperare. §. 11.
Doctor eligendus peritus. §. 6.	Docens Gratiam divinam infundere nequit alteri. §. 12.
Quomodo in eligendo do-	Deo omnia tribuenda sunt. §. 13.

§. I.



Virite officio quodam in se ^{Generale} suscepto defungi cupiunt, ^{officium} ipsorum prima cura esse ^{primum} debet, ut *vires* suas rite ^{est cogni-} explorent atque in se ipsos diligenter ^{tio no-} inquirant, quousque pares officio ^{stri.} & muneri obeundo esse possint. Ad quod imprimis necessum est, ut non facultates modo suas quidque ipsis adsit, sed facultatum quoque suarum adjacentes *defectus* exploratos habeant. Diximus enim (a) supra, τὸ γινῶθαι σεαυτὸν, sive cognitionem sui esse primam viam ad sapientiam consequendam, quod quoniam generale dictamen agnoscitur, primum erit officium eorum, qui ad percipiendum S. Spiritus Testimonium internum manuduci cupiunt, ut præveniente Gratia cœlesti, *probe se cognoscant.*

§. II. Quod si animum ad cognoscendos semetipsos, & quid homo ^{Ignoran-} solus ^{tie & sæ-} ^{ditatis} ^{agnitio.}

(a) Part. I. Cap. I. §. 2. seq.

solus sit citra ascititium ornatum, & persuasiones rite applicaverint, fatendum omnino ipsis erit, quod sensibus & rationis fiducia ad cœlestem Grati-
am assurgere nequeant; imo vero quod hisce ducibus hætenus in statu naturæ obsecuti, fœdam rerum cœlestium ignorantiam & contemptum præ se tulerint, atque dicente (a) Scriptura, destituantur gloria, quæ coram Deo valet. Adeoque proximum est, *ut se ignaros & indignos rerum cœlestium, multis vero terrestrium rerum sordibus se depravatos agnoscant.* Uti enim nunquam ad eruditionem perveniunt, qui jam se eo pervenisse putant: sic, tradente Seneca, (b) *initium est salutis agnitio peccati.* Ex quo oritur *humilitas Christiana.* (c)

Rectus & constans in sancto proposito animus.

§. III. Cognito errore & status nostri vitio, superest, ut quam primum ad emendationem & meliorem cordis *sanitatem* properetur. Atque illud

(a) Rom. III. 12. III. 23. (b) Epist. XXIX. (c) Add. P. II. Cap. VI. §. 5

illud quidem nec *frigide* nec *cunctanter*, aut animo *vago & inconstanti*. Nihil enim magis salutis per Testimonium divinæ Gratiæ impetrandæ obest, quam *hesitantia, tepor & fluctuatio* animi, quæ efficit, ut ubi acerbitas vitæ nos presserit, a recto instituto continuo refugiamus, aut circa salutaria hæreamus claudicantes in utrumque latus. (A)

§. IV. Suscipitur autem sanctum *Proficimus vel per nos ipsos, vel ministerio alterius.* hoc institutum perveniendi ad Spiritus S. Testimonium internum vel inopia legitimi doctoris *per se ipsum*, cum post imploratam Gratiæ cœlestis opem, meditatione nostra aut lectione libri alicujus sacri, animum ad diviniora erigimus; vel *adjuti ministerio viri alicujus in sacra sapientia gnari*. Qui priori via uti compelluntur, ut *per se ipsos soli* proficiant, iis usui esse poterunt ea, quæ a nobis supra

(A) I. Reg. XII. 26. cum glossa Lutheri. Hebr. XII. 13. Jac. I. 6 - 8. IV. 8. Eph. IV. 14.

supra (a) allata sunt, quæ si seria meditatione considerentur, & animus istis subsidiis excitetur, fieri non potest, ut optato exitu destituatur Deo fidens animus.

Commendatur puritas & examen Conscientia.

§. V. Addimus istis, quæ paulo ante (b) commemorata sunt, quod animo ad divinam Gratiam contententi diligenter commendanda sit *mundities & Examen Conscientia*, quæ a Christo & Apostolis identidem nobis præscripta & promissione ornata leguntur. (c) Per *examen Conscientia* efficitur, ut aberrationes & vitia nostra facile animadvertamus, quid pravi in nobis deprehenditur, emendemus, & quid boni divina in nobis produxit Gratia, studiose conservare & percolere connitamur. *Mundities Conscientia* remove fatagit ea omnia, quæ cor & desideria foeditate quadam cupidinum coinquinare solent, animumque perpurgare studet
ab

(a) Cap. IX. §. 3. seq. (b) Cap. IX. (c) Matth. V. 8. I. Cor. XIII. 5. I. Tim. I. 5. I. Petr. I. 22.

ab iis rebus, quæ mentem perturbare & a divinæ Gratiæ sensu abducere possunt. Hinc arcenda illa veniunt, quæ voluntatem ad pia peragenda inclinant. Non male *Maimonides* (a) *Voluntatem peccandi, dicit, nequiores esse peccato.* Cujus dicti rationem allegat *Gellius*, (b) quod peccatum oriatur ex materia, cogitatio ex ipsa forma. Præclara vero sunt dictata illa *Marci Aurelii Imperatoris*: (c) *Nos in nosmeipso converti debere & convolvi, & erga Deum, qui intra nos est: sicque affectos interius esse, ut mali nihil in animis nostris Dii perspiciant: cumque recte agimus, nobis id sufficere: imo & benefacta nostra, nobis, si fieri possit, ignota esse debere: non a malo patrandi solum, sed & a cogitando esse abstinendum: ad id assuescendum, ut ea tantum cogitemus, de quibus si quis nos roget, sine tergiversatione aut dissimu-*

(a) *Mor. Nevoch. P. III. C. 8.* (b) *Lib. IIX. Cap. 18.* (c) *L. 3. §. 4. 5. L. 4. §. 6. L. 6. §. 30. L. 7. 28. L. 9. §. 6. &c.*

simulatione respondeamus: unde manifestum fiat, nos neque res obscœnas habere in animo, neque odia, aut invidiam aut suspiciones aliaque, quorum nos pudeat.

*Doctor
seligen-
dus peri-
tus.*

§. VI. Qui ductu alterius se institui cupiunt, in vera ad Spiritus Testimonium via, curare imprimis debent, ut se doctori regendos permittant, qui partes illas, quæ capite præcedente notavimus, & si quæ plures eo pertinent, diligenter & sincero studio expleat. Seligendus omnino, qui rerum divinarum plane gnarus: qui idoneus minister novi pacti, non literæ tantum, sed & Spiritus: (a) qui excubet pro anima, tanquam rationem redditurus: (b) qui fidelis sit: (c) qui teneat mysterium fidei in munda conscientia. (d)

*Quomodo
in eligen-
do docto-
re agen-
dum sit
imperito.*

§. VII. Quæris, quo indicio istiusmodi doctor cognosci possit, imprimis ab eo, qui in salutari sapientia

(a) II. Cor. III. 6. (b) Ebr. XIII. 17. (c) I. Cor. IV. 2. (d) I. Tim. III. 9.

tiæ divinæ doctrina hætenus ignarus fuit, ut tuto ejus ductum sequatur? Nam quæ criteria (a) forte allata sunt, illa ad eruditos & scientiæ sacræ luce donatos pertinere videntur. Respondeo: res oppido difficilis ei futura est, qui fidei luce destituitur; veruntamen non sine consilio talismodi a nobis dimittendus est. Quoniam igitur miser hic & ignarus, cui nam se in disciplinam salutis concedere debeat, suo iudicio niti non potest: optime fecerit, si se toto corde intra se ad Deum, Ens illud Benignissimum, Patrem luminis & misericordiarum; devotissimis suspiriis convertat, ut ipsi quenquam concedere dignetur, qui animæ suæ curam habeat, ea, qua par est, fide & industria, & qua Ministrum & dispensatorem Gratiæ fidelem & intelligentem agere convenit. (b) Quibus ad Deum fido pectore nuncupatis votis, non est, cur divina clementia permittere

Aa, 2

pos-

(a) P. II. Cap. IX. (b) Matth. IX. 37. 38

possit, ut ejusmodi anima incidat in doctorem, qui ipsam erroribus noxiis imbuat, aut ita circumducatur falsis deceptionibus, per veteratoriam (a) ad artificiose fallendum versutiam, ut a salute & Gratia cœlesti perniciose aberraret; imo vero mittet efflagitantibus Spiritum veritatis, qui ipsos ducat in omnem veritatem, (b) vel Philippum concedet, qui ipsis interpretetur, quod ipsi per se intelligere nequeunt. (c)

*Quo in-
dicio co-
gnosca-
tur verus
doctor.*

§. VIII. Uti tamen nostra sunt tempora nulla certe causa subest, cur de inopia doctorum incusemus divinam Providentiam, aut media extraordinariam efflagitemus, cum uberi docentium proventu gaudeamus. Illud vero non nemo efflagitaverit, *quæ nota discerni inter multos optimus fidelissimusque animarum custos aut potius custodia sibi credita minister possit? Cui melior dari responsio nequit, quam*

(a) Eph. IV. 14. (b) Joh. XIV. 16. - 18. XV. 26. (c) Act. IX. 26. 29.

quam si istud criterium valere patiamur, quod Christus (a) nobis discrete & repetitis vicibus commendavit, dum suos a falsorum hominum doctrinis circumspicte admonuit. Ponit nimirum indicii loco cognoscendi doctorem *fructus doctrinae & morum*. Ex quibus tanquam criteriis haud obscuris satis elucescere docuit, quid homines de doctore, hisce criteriis insignito, sibi promittere possint.

§. IX. Homo etiam, cui curæ cordique est, obtemperare cœlesti voluntati, omnibusque, quæ ipsi ad obtinendum Spiritus S. internum Testimonium esse necessaria demonstrantur, ipse ductu Sacrarum literarum in animo sentiet atque percipiet, utrum ista, quæ ipsi a docente proponuntur, sint verba vitæ, ipsumque ad percipiendas res cœlestes promoveant. (b) Habet etiam omnis veritas illud, ut temporis diuturnitate se in animis hominum intelligentium roboret, magisque

Aa 3

alios

(a) Matth. VII. 16. 20. (b) Vid. Joh. VI. 68. 69.

alios ad suas partes perducatur; contra falsæ res, licet sint speciosæ & animis in initio se mirifice commendent, cum tempore tamen manifesta ipsarum evadit in dolens, atque concepta de iis per errorem existimatio concidit. (a)

*Discipulis
officium
est confes-
sione doc-
centi.*

§. X. Quod si ergo homini ad Testimonium Spiritus internum contendenti, divino munere, docens contigit, quem tuto sequi potest, ejus officium est, ut *Doctore fidem habeat.* Quoniam enim qui erudiri vult, per se discernere nequit, quid sibi in salutis via faciendum sit, ratio dicat, ut ejus fidei se committat, quem rerum cœlestium gnarum, sincerum & fidelem credit. Hinc est, quod in Sacris Christus & Apostoli credi sibi & fidem adhiberi efflagitent. (b) Contra incredulis nihil de divina Gratia sua opera, tanquam per ministros

(a) Vid. II. Tim. III. 9. Conf. Part. II. Cap. IX. & P. L. Cap. V. 8. (b) Joh. IV. 21. IIX. 24. 45. Eph. I. 13. I. Thess. II. 13.

nistros divinos ipsis annuntiata polliceri potuerunt. (a)

§. XI. Proximum est, ut quæ verissima sibi proposita credunt discen-<sup>Eidem-
que ob-
tempera-</sup>tes, amplectantur, & præceptis salutari-
bus obediant. Ea in primis opere

ipso ostendant, quæ ex disciplinæ sacrae jussis facienda præscribuntur.

Non enim satis est monita salutaria in pectus immisisse, nisi ad ipsorum dictata vitam componas. Quapropter

pœna immorigeris proponitur, qui veritatem affecti dicuntur, sed eandem in captivitate detinuerunt,

(b) id est, illi, quibus recta ratione demonstratum erat, quid faciendum ipsis incumberet, si Deo se approbare vellent; sed qui sensibus &

corruptæ rationis ideis obtemperantes, neglexere saniora vitæ præcepta ad puritatem & emendationem animi traducere. (c)

§. XII. Neque tamen eo fides & ^{Docens} ^{Gratiam} obe-

(a) Apoc. XXI. 8. (b) Rom. II. 8. & I. 18. 21.

(c) Add. Hebr. XIII. 17. seqq.

*divinam
infunde-
re nequit
alteri.* obedientia in docentem extendenda est, ut existimetur, posse doctorem virtute sua ipsam divinam vim & Gratiā pectoribus infundere. Ostensum enim jam est, (a) quod solus Deus sit, qui se atque dona sua cordibus concedat, hominem vero ministerio suo pectus alterius disponere solum, ipsique impedimenta indicare posse, ut iisdem remotis ad sentiendum divinæ Gratiæ Testimonium discens fiat idoneus. Quanquam enim illud negari non possit, divinam Gratiā operari per homines, atque cor alterius, quod Gratiā destituitur, multo incindi facilius ad amorem cœlestium, si ipsi consuetudo & doctrina alicujus viri obtingat, in quem divina bonitas cœlestia sua dona ubertim congescit; eadem tamen hæc Gratiā non ad instrumentum aut doctorem, sed ad fontem & originem, ipsum nimirum Deum ejusque Gratiā in alterius corde habitantem, referenda est. §. XIII.

(a) Part. II. Cap. X. §. 9.

§. XIII, Cavebit proinde discipulus, ne multo majori amore aut veneratione ipsum organon, per quod ipsi Gratia cœlestis dispensatur, prosequatur, quam Principem Gratiã autorem, Deum. Qui communis inter initia proficientium lapsus est, dum visibilibus magis inhaerent ministeriis, quam auctori Gratiã supremo. Quoniam prius, scilicet doctoris visibile officium sensus & imaginationem ferit, posterior scilicet Deus & ejus invisibilis Gratia, longe supra sensus & rationem positum sola puraque fide & amore cognoscitur. Et est sane de officio ipsius docentis de infirmitate hac, si qua talis auditori adhæret, eum commone- re, ut ne plus justo sibi docenti tribuatur, propterea honore ministerii ornatus opportune hortetur auditorem, non id deberi sibi, quod Domini Gloriam attrectat. Ita enim fecisse leguntur homines sanctissimi. (a)

Aa 5

CA-

(a) Act. II. 12. & XIV. 15. I. Cor. III. 5.

CAPUT XII.

De libertate in Statu Gratiæ.

SUMMARIÆ.

Summa capitis. §. 1.

I.) *Quid sit libertas in statu Gratiæ.*

Dicta Scripturæ de libertate in statu Gratiæ. §. 2.

Adducuntur fundamenta definitionis de libertate in statu Gratiæ. §. 3.

Definitio libertatis in statu Gratiæ. §. 4.

Explicatur definitio libertatis in statu Gratiæ. §. 5.

Ratio dicti Joh. VIII. 36. ejusque sensus. §. 6.

Gradus libertatis Christianæ ex Theologis, Huttero, Bechmanno. §. 7.

Ex B. D. Bajero. §. 8.

Non omnes pari libertate gaudent. §. 9.

II.) *Quodnam sit fundamentum Libertatis in statu Gratiæ.*

Libertatis spiritualis fundamentum generale est Christus ejusque meritum. §. 10.

Probatur non omnes pari libertate gaudere in statu Gratiæ. §. 11.

*Fundamentum proximum**est sapientia Spiritus Christi.*

§. 12.

Probatur. §. 13.

Quomodo sapientiæ divinæ præsentia cognoscatur.

§. 14.

Vera libertas spiritualis imperium exercet in affectus &c. §. 15.

Nunquam convellit leges, & mores honestos. §. 16.

Nec rationis rectæ præceptis repugnât. §. 17.

III.) *Quem usum ex cognitione Libertatis in statu Gratiæ capere possimus.*

Fundamentum graduum Libertatis Christianæ. §. 18.

Quid sit falsa Libertas in statu Gratiæ. §. 19.

Hæc destituitur sapientiæ celesti. §. 20.

Cupiditatibus naturæ favet. §. 21.

Legibus, constitutis ac moribus honestis & indifferentibus reluctatur, atque convellit. §. 22.

Libertatis in statu Gratiæ præstantia. §. 23.

§. I.

§. I.

DE tribus rerum momentis *Divisio*
 breviter differemus *Primo*
 primo ostendemus, quid sit
 libertas in statu Gratiae §.
 2. ad 9. *Secundo*, quodnam sit fun-
 damentum hujus libertatis. §. 9. ad 17.
Tertio, quem usum inde capere lice-
 at. §. 17. ad finem.

I.) *Quid sit Libertas in statu*
Gratiae.

§. II. De libertate Christiana, quae *Dicta*
 in statu Gratiae homini pio obtingit, *Scriptu-*
 eximia Christi vox est: *Si Filius vos*
liberos reddidit, vere liberi estis: (a)
 & Pauli: *In libertatem vocati estis, Fra-*
tres. (b) Quas præclaras de emini-
 nente status Gratiae prærogativa sen-
 tentias earumque sensum plene in-
 telligere haud licebit, nisi prius lu-
 culenter explicetur, quid libertas in
 statu hominis supernaturali signifi-
 cet: quo cognito, facile deinceps
 constabit & de sensu dictorum, & quis
 liber-

(a) Joh. VIII. 36. (b) Gal. V. 13.

libertatem hanc sibi jure arrogare, quibusve in rebus possit.

Adduntur fundamenta definitionis de libertate in statu Gratia.

§. III. Statum Gratiaē diximus (a) illam hominis conditionem, qua homo cor ab impedimentis terrestribus & ideis liberatum, atque sic dispositum habet, ut operationes divinas in corde haud difficulter sentire & percipere possit. Libertatem inde provenire ostendimus, (b) si quis robore & perfectionibus polleat, & cum fiducia & firmiter reprimere ea possit, quæ ipsi opponuntur, adeoque se immunem conservare ab imperio alterius. Jam vero (c) liquet, quod Deus sit Ens aut Substantia, quæ universas in se complectatur perfectiones. Qui autem in statu Gratiaē versatur, is conjunctus est cum eo, (d) & ex divina perfectionum plenitudine accipit Gratiam pro gratia, (e) hoc

(a) P. II. Cap. I. §. 10. (b) Part. I. Cap. II. §. 2. 3. 10. (c) Part. II. Cap. I. §. 6. (d) I. Cor. VI. 17. Vid. Part. II. Cap. I. §. 7. 10. (e) Joh. I. 16.

hoc est, Deus ex bonitate sua hominem, in ejus Gratia constitutum, participem reddit sui luminis, divini roboris, intelligentiæ, sapientiæ, Spiritus potentia & consilii. (a) Ex quo sequitur, quod qui in statu Gratia constitutus est, per acceptas a Deo perfectiones & robur possit resistere illis impressionibus & motibus, quos mundus & res externæ atque diaboli vis in carne, sanguine, imaginatione & ideis mentis excitant, & nos ad suum obsequium sollicitant, quæque nos, si ipsi resistamus, oppugnant: sin vero nulla virtute animi divina armati sumus, nos, qui hisce malignis incursionibus & insultibus naturaliter deprehendimur imbecilliores, vincunt & expugnant, ut deditio faciendæ & concedendum sit in obsequium carnis, cupiditatum, rationis corruptæ, & varia flagitia perpetrent. (b)

Qui

(a) Ef. XI. 2. XL. 30. (b) Vid. Eph. II. 3. Gal. V. 19. seq.

Qui autem virtute divina cor animique suam exarmatum & quasi præsidio repletum habent atque munitum, licet concitatos motus sentiant in sensibus aut imaginatione, minime tamen permoventur, sed cum clade hostem; qui istas turbas & ad peccandum occasiones excitat, repellunt. (a) Eo ipso autem, dum nihil facile datur, quod hominis animum in obsequium peccati & in servitutem flagitiorum deducere potest, constituitur homo pius in statu libertatis. (b) Quoniam, Dei Gratia, homo talis uti voluntate sua libera in eam partem potest, quæ ipsi optima videtur, non impeditus affectuum imperio, nec rationis præiudicio aut erroribus.

*Definitio
libertatis
in statu
Gratiæ.*

§. IV. Ut itaque omnia de hominis Christiani libertate spirituali clare & perspicue intelligi possint, dabimus definitionem libertatis, ejusque, qui in statu Gratiæ constituitur.

Est

(a) Eph. VI. 10. seq. (b) I. Cor. VI. 12.

Est ergo libertas in statu Gratiaē felicitas, qua quis ob acceptas a divina Gratia perfectiones, (uti divinum robur, lumen, &c.) nec sensuum imperio, nec rationis corruptaē dictamini, & quia sensus & rationem feriunt, impressionibus non amplius, uti antea, se obnoxium sentit, sed hisce superior, divinis nutibus puro corde perceptis, sponte & alacriter obtemperat.

§. V. Dicitur in definitione, I. quod *libertas spiritualis sit felicitas.* Nam Explicatur definitio libertatis. ante libertatem a Gratia acceptam, servituti corporis & imaginationi affectuumque imperio eramus obnoxii, hinc quotiescunque nobis etiam foeda & putenda ab hisce dominis nostris imperabantur, tanquam mancipia obedire eorum dominio, etiam repugnantibus nobis & conscientia nostra reluctante, cogebamur. Ergo dum liberatos ab hac servitute nos per Gratiam videmus, feliciores sane sumus praë istis, qui saevum hoc peccati dominium perferre coguntur. II. Dicitur

citur, quod a Deo ad obtinendam libertatem spiritualem, perfectiones (uti divinum lumen, sapientiam, robor &c.) accipiamus. Hoc enim fundamentum libertatis est. (a) Qui enim nullo robore, perfectione, sapientia reliquisque virtutibus est præditus, is nulla ratione libertatem suam vel consequi, vel tueri potest. Deus autem vult, ut libertate spirituali gaudeamus, id est) ut domini simus carnis, affectuum dæmonis & peccatorum. Ergo nobis etiam confert robor suum cœleste, divinam Gratiam, sapientiam &c. ut ipsi libero Spiritu sine impedimento serviamus, (b) quantum quidem vires humanæ patiuntur. III. Dicitur, quod in statu libertatis Gratiæ sentiatnus, nos esse non amplius, ceu antea, sensuum, imaginationis & rationis corruptæ imperio subjectos aut servos, quantum nimirum in hac vita licet. Hoc inde patet, quia Gratia divina in nobis reprimat motus carnales, adeoque illos minu-

(a) Vid. Part. I. Cap. IIX. §. 2. 3. (b) Luc. II. 74-75.

minuit & infringit, ut debilitati imperium adeo durum non exercere in nos amplius possint. (a) Imo si sequi carnis desideria cogeremur, nondum in statu libertatis constituti dici potuissemus. Repugnat enim servire carni, & liberum esse ab ejus imperio. IV. Dicitur, *quod divina voluntati corde puro ex sacris literis hausta cognitione sponte & alacriter obtempereamus*. Libertas enim Gratiae, nos non eximit ab obedientia Deo præstanda, sed habiles nos facit, ut promptius divina jussa exequamur, & simus servi justitiæ. (b) In hoc enim summa Christiani hominis felicitas consistit, ut se ad voluntatis divinæ præcepta sponte conformet, atque hac ratione studeat indies in sanctimonia proficere, uti mentem ad Deum adducat, & ea rebus, quæ sanctum hoc propositum impediunt, magis magisque abducant. Quapropter quam primum ejusmodi intellexerit, in quo

Bb gra-

(a) Gal. V. 24, (b) Rom. VI. 18.

gratum Deo præstari possit obsequium, nihil omnino omittet, ut jussis divinis sponte & alacriter ab se obedientia præstetur.

*Ratio di-
cti Joh.
II. 36,
ejusque
sensus.*

§. VI. Patet ex definitione ratio dicti Christi, jam a nobis allati: *si Filius Christus vos in libertatem vindicavit, vere liberi estis.* Nam si quis in libertatem vindicandus est, requiritur, ut auctor libertatis robore & imperio polleat alterum, qui in captivum exercet dominium, jubendi, ut in servitute detentum dimittat. Sine potestate enim & imperio in alterum nihil efficietur, quod etiam in rebus humanis, uti a Principe concessis alicui privilegiis & immunitatibus procedit. Itaque si proficiscendi, mercaturam aut monopolium exercendi potestatem Rex Galliarum alicui concesserit, suum privilegium non est valiturum extra regni sui fines, quia potestas extra hos non extenditur; aliis in locis prohibetur privilegio donatus exercere concessam sibi a Gallo libertatem. Jam

vero

vero manifestum est, neminem in dæmonem & cor nostrum absolutum habere dominium, nisi solum Deum, & Christum Salvatorem nostrum, qui idem verus Deus est. Nemo ergo liberare cor nostrum a servitute peccatorum potest, & Diabolo prohibere, ne nobis infestus sit malignis suggestionibus, nisi is, qui cordis nostri & diaboli Dominus est. Hinc v. 31. l. c. inquit Christus: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*, id est, gaudebitis isto beneficio, quod sermo meus in animis credentium produxit, ut mihi adhæreatis, & ex sermonibus meis salutem capiat. V. 32. *Et cognoscetis veritatem*, id est, sentietis in pectoribus vestris effectus salutes sermonis mei, & *veritas vos in libertatem vindicabit*, id est, verba mea de salute animarum vestrarum, tantæ erunt efficaciam, ut vobis monstratura sint viam, quomodo a peccatorum servitute vos liberare, & ad lucem cœlestem, qua tenebræ spirituales dissipantur, pervenire, atque spiritus libertatis divini, qui diabolo, peccatis & pravis concupiscentiis resistit, compotes fieri possitis. Cum vero Judæi dictum Christi

interpretarentur de servitute corporali, ostendit v. 34. de qua loquatur servitute, inquiens: *quisquis operam dat peccato, servus est peccati*: id est, qui virtutem Gratiamque divinam non habet resistendi tentationibus & illecebris peccati, is obedire cogitur pravis sollicitationibus carnis suæ. Jam v. 36. veram rationem evadendi servitutem spiritualem monstrat, quod solo Christi divino auxilio contingit. Ait namque: *si Filius vos in libertatem vindicavit*, id est, si Christus divina sua virtute atque merito vobis vires contulit, uti ipse diaboli potestatem destruxit, ut exire de peccati vinculis queatis, *vere liberi estis*: id est, cor vestrum liberatum erit a fœdo dominio, quod in vos caro, mundus & diabolus exercent; e contrario autem sentietis in vobis animum & spiritum promptum ad facienda ea, quæ divinæ voluntatis sunt.

*Gradus
libertatis
Christi*

§. VII. *Gradus libertatis Christianæ*
a Theologis quatuor tradi solent, quorum *primus* est liberatio a Lege morali,

li, quoad vim coactivam: *secundus* ^{stiana ex}
 est donum per Gratiam, hoc est, Chri- ^{Hustero}
 sti efficacia in credentibus per Evan- ^{& Bech-}
 gelium & per Spiritum Sanctum, qua ^{manno.}
 inchoatur nova obedientia, & fiunt
 opera Deo grata, ex spiritu libero &
 spontaneo. Nimirum Evangelium
 fidem accendit, quæ in meritum Chri-
 sti fertur, illudque peccatori applicat:
 Ipse autem fides suo munere fungitur
 respectu renovationis. Intellectum
 enim determinat ad assensum præ-
 bendum iis, quæ in Scriptura tradun-
 tur, & voluntatem ad sectanda spiri-
 tualia inclinât, eamque aptam reddit,
 ut resistat pravis cupiditatibus. (a)
Tertius est liberatio a Ceremoniis &
 Legibus forensibus mosaïcis, ut non
 amplius obligent, quatenus in se in-
 differentes ad unum oppositorum in
 Veteri Testamento erant determina-
 ta. (b) *Quartus* est liberatio a Tradi-
 tionibus humanis in Ecclesia, quæ non
 habent opinionem meriti, cultus,
 aut absolutæ necessitatis, & quæ ex-

B b 3 tra

(a) Rom. VI. 12. (b) Gal. IV. 9.

tra casum scandali, sine peccato negli & omitti possunt. (a)

Ex D.
Bajero.

§. IIX. Jo. Guilb. Bajerus, in Jenensi, deinde in Academia Hallensi Professor Primarius, (b) *primum* libertatis hujus gradum refert ad Locum de Justificatione ejusque effectum, ubi animus, etsi peccatorum sibi conscius, non amplius tamen angitur, aut Deum iratum formidat aut fugit, sed sorte sua contentus est, & de Dei Gratia securus acquiescit. *Secundum* gradum (c) refert ad Locum de Renovatione & bonis operibus. Ubi homines, viribus novis & spiritualibus a Deo donati & a servitute peccati dominantis liberati, jam libero & spontaneo spiritu opera Deo grata præstant, seu novam obedientiam. Atque sic Lex comminationibus & maledictionibus suis renatos non cogit, sed præceptis suis dirigit tantum seu docet. Quo sen-

(a) Vid. Hutter Comp. Theol. L. XVIII. Qu. 2. & D. Bechman. Annot. p. 116. (b) Compend. Theol. Pos. P. III. c. 5. §. 14. not. a. p. 762. Conf. Rom. V. I. (c) P. III. c. 6. §. 22. p. 793.

sensu (a) dicitur: *Legem iusto non esse positam: & renati (b) dicuntur servire (Deo) per novitatem Spiritus, (seu per vires novas a Spiritu S. acceptas prompte & cum quadam delectatione) non per vetustatem literæ (id est, non ex vi legis antiquæ suis comminationibus vel cunctantes, vel invitos urgentis & propellentis.) Tertium gradum refert ad locum de Lege & Evangelio. Quoniam Deus voluit, ut leges ceremoniales & forenses non perpetuo, sed ad tempus durarent & obligarent, unde elapso tempore statuto, earum vis obligandi cessare debuit. (c)*

Quartum denique gradum hujus libertatis refert ad Locum de Ministerio Ecclesiastico, (d) ne onerentur conscientia ritibus & ceremoniis, quæ per se ad cultum divinum non pertinent, quod Augustana Conf. Art. xv. monuit.

§. IX. Quemadmodum autem ca- Non o-
sus singulares in vita hominis Christi- mnes pa-
ani ri liber

Bb 4

(a) I. Tim. I. 9. (b) Rom. VII. 6. (c) Ebr. IX. 10. Part. III. C. 7. §. 18. p. 825. (d) P. III. c. 14. §. 12. p. 107.

ate gau-
dent. ani per plurimi incidunt, ubi aliqui sibi
conscientiæ ducunt, rem aliquam at-
tingere aut peragere; (a) aliqui contra
majori libertate usi, minime hærent,
quin operi, abs quo nonnulli abhorrent,
se accingant: (b) Hinc merito quæri
potest, unde hæc sententiarum dissen-
sio in Gratia statu proveniat? Quod
melius haud intelligi posse arbitra-
mur, quam si fundamentum libertatis
in statu Gratia, quantum in præsentis
licet, breviter explicetur.

II.) *Quodnam sit fundamentum li-
bertatis in statu Gratia.*

*Liberta-
tis Christ.
generale
est fun-
damentum
Christus
ejusque
meritum.*

§. X. Recte a Christianis liberta-
tis nostræ spiritualis autor agnoscitur
Christus Servator, ejusque sanctissi-
mum meritum, per quod universa bo-
na cœlestia sunt acquisita nobis. Sed
quoniam Christus varia diversaque
nobis acquisivit beneficia: (*Requievis
enim in eo Spiritus Sapientia, intelligen-
tia, Consilii, Potentia, Scientia & Reve-*
ren-

(a) Coll. II. 21. I. Cor. VIII. 7. (b) Rom. XIV.
14. Col. II. 16. Rom. XIV, 5. 20. 23.

rentia Febova, (a) sic ut ex plenitudine ipsius omnes accipiamus Gratiam pro gratia: (b) omnes autem veri Christiani non æque in universum pari gaudeant libertate spirituali, (c) qui tamen nihilo secius Gratia Christi ejusque meriti participes facti sunt: superest, ut quæramus, quodnam præcipue donum a Christo nobis acquisitum efficiat, ut unus præ altero majori perfruatur libertate agendi, licet de cætero recte in numero fidelium Christianorum; & qui vocem Pastoris sui Christi audiat, computetur is, cui libertas spiritualis, qua alter utitur, nondum contigit?

§. XI. Legimus enim, (d) Paulum Probatum non omnes pari libertate gaudere in statu Gratia. hortari cœtum fidelium & auditores suos, viderent ne ipsorum facultas agendi, sive ut Lutherus vertit, libertas offendificulo esset infirmis. Ipse quoque de se loquens Apostolus inquit: *Omnia mihi licent, at non omnia conferunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant*

Bb 5 / cune

(a) Ef. XI. 2. (b) Joh. I. 16. (c) Vid. §. IIX. præ.
(d) I. Cor. VIII. 9.

cant. (a) Ex quibus intellectu haud est difficile, fuisse tum temporis homines pios & Deo fideles, qui tamen eam agendi libertatem, quali Paulus uti potuisset, non ferre, multo minus ipsimet eam exercere potuerint. (b) Quare jam de ratione speciali circumspiciendum est, quæ in animo hominis libertatem hanc spirituales in hoc vel isto negotio largiatur.

Fundamentum proximum est sapientia Spiritus Christi.

§. XII. Fundamentum itaque proximum libertatis in statu Gratia esse existimamus SPIRITUM SAPIENTIAE CHRISTI. (c) Sed quoniam hæc sententia nostra forte alicui obscurior videri posset ob brevitatem, clarius eam hoc modo enunciabimus: *Qui magis profecit in salutari cognitione & amore Christi, is pro ratione profectuum suorum majorem quoque habiturus est libertatem in statu Gratia.* (d) Cui connectitur alterum: *Qui modice in cognitione*

(a) I. Cor. X. 23. (b) Conf. Rom. XIV. totum ferme. (c) Ef. XI, 2. Jac. III. 13. 17. I. Cor. I. 30. I. Cor. II. 6. 7. (d) Eph. III. 18. 19.

zione & sapientia Christi profecit, is multo minori gaudebit libertate.

§. XIII. Sententiæ hujus veritas ^{Probatur} ^{duplex} ^{hæc thesis} ^{nostra.} luculenta est, demonstrabimus tamen eam: *Omni-um actionum nostrarum firmitas & certitudo dependet ex certa principiorum cognitione, sive certitudo sit sensualis, sive rationalis, sive spiritualis. Certitudo autem veritatis & recti dat libertatem agendi. Nam nihil est, quod conscientiam impediat, quo minus non liceat recta peragere. In spiritualibus autem recte agere discimus ex sapientia Christi, nimirum in quo cognoscimus omnem sapientiam & veritatem spiritualem reconditam. (a) Ergo quanto quisque magis profecit in sapientia Christi, tanto major ejus erit libertas spiritualis. Quia profundius cœlestes spiritualium rerum veritates cognoscere discit per Spiritum Christi. Hinc Apostolus inquit: *Ubi Spiritus Domini est, illic libertas.* (b) Contra qui ista cognitione destituitur, is in rebus levioris momenti hære-*

(a) Colof. II. 3. 9. 10. (b) II. Cor. III. 17.

hære interdum cogitur, quod aliquibus accidisse certum est, qui propterea infirmi appellantur. (a) Causa hujus rei indicatur ab Apostolo: *Αἴτιον ἐν πᾶσιν ἢ γυνῶσις*: sed non in omnibus est ea cognitio. (b) Quemadmodum enim in corpore infirmitas provenit a debilitate nervorum: sic infirmitas in animo oritur a debili, subobscura & infirma cognitione rerum spiritualium.

*Quomodo Sapi-
entia
dis. pra-
sentia
cognosca-
tur.*

§. XIV. Inquies: Unde sciam me profecisse in cœlesti sapientia, ut libertatem me adeptum esse certus sim? Respondeo: Scies illud, si sincere egeris, propria conscientia & Deo teste. Verum conscientia, dicis, fallere potest? Et dico ego, si pura fuerit conscientia, quod fallere nequeat. Unde vero constabit Conscientiam esse puram? Si examinetur ad regulam perfectionis. (c) Perfectissima norma Deus est, verbum divinum, deinde homines vere pii & religiosi. (d) Si ad hæc contendatur

(a) Rom. XIV. I. Cpr. X. 25. seq. (b) I. Cor. IX. 7. (c) Per Part. I. Cap. I. §. 3. seq. (d) Vid P. II. Cap. IX. §. 7. seq.

tur conscientia facies, & imprimis inquiratur in propensionem & rationes, quæ ad agendum te impellant, facile apparebit, quo loco versentur res tuæ internæ. Maxime vero in libertate spiritali nostra confirmabimur, & quod ea solido fundamento innitatur, si cum rationibus ex adversa parte urgemur, dubia, quæ opponuntur, perspicue dissolvere, nostras vero rationes multo esse firmiores liquido probare poterimus. Hoc enim indicio erit, nos majori lumine & intelligentia per divinam Gratiam donatos esse, adeoque verius nos rem cognoscere, & quod hujus consequens est, majori libertate nos agere posse.

§. XV. Quoniam fundamentum libertatis in statu Gratia a nobis ductu Scripturæ S. constitutum est *sapientia divina*: (a) Eximiae autem sapientia est affectus suos rite moderari, & rebus terrestribus ideisque suis minori cupiditate incumbere: hinc sequitur, quod is certissimus esse de libertate in

*Libertas
spiritalis
imperium
exercet
in
affectibus
&c.*

(a) per §. II. 12. hoc Cap.

statu Gratiaë possit, qui robur & sapientiam divinitus sibi concessam habet, moderandi prompte affectus, & animum a terrestribus suisque speculationibus ad voluntatem suam libere & minori cum repugnantia abducendi. Arguit enim id ipsum robur aliquod, cœleste, & quod omnem sapientiam & vim humanæ naturæ supergreditur.

*Libertas
Spiritu-
alis nun-
quam
convellit
leges &
mores
bonestos.*

§. XVI. Quapropter is, qui libertatem in statu Gratiaë consecutus est, nunquã legibus humanis, modo non plane rationem expugnent, repugnabit, aut leges constitutas convellet; sed vita moresque ipsius ita erunt compositi, ut neminem facile offendant, aut receptas consuetudines subvertere nitantur. Quoniam (a) istiusmodi homo affectus suos ita moderari in potestate habet, cupidinesque suas ita regere didicit, uti præsens vitæ ratio & leges, sub quibus vivendum est, postulant. Inhærens enim rebus cœlestibus ibidem conversationis suæ libertatem exercendam noscit, cœtera veluti pe-
ritu-

(a) Pers. præced.

ritura ipsi tradita esse considerat, & ad ea se accommodat.

§. XVII. Hinc nullum rectæ ratio-
nis præceptum per libertatem homini
in statu Gratiæ concessum subvertitur.
Quod qui convellere ausus fuerit,
Libertinus potius intempestivus, quam
libertate Gratiæ donatus dici meretur.
Nam libertas in statu Gratiæ homini
quidem robur & sapientiam confert,
ut se abducere a rebus terrestribus,
quæ saluti animæ obsunt, possit; ne-
quaquam vero jus ipsi concedit, ut do-
ctrinas & principia, quæ per rectam ra-
tionem, Deo auctore, hominibus ad
sui conservationem & bonum ordi-
nem innotuerunt, labefactet. Dicta-
tur potius eidem, ut hæc instituta
per sanam rationem lata, tanquam
quæ Deo auctore pariter profecta
sunt, facta tectaue relinquat, &
custodienda curet. Alias falsæ liber-
tatis sibi perperam arrogatæ su-
spicionem merito incurrit.

*Libertas
spiritua-
lis ratio-
nis rectæ
præceptis
non re-
pugnat.*

III.)

III.) *Quem usum ex cognitione libertatis in statu Gratia capere possimus.*

Funda-
mentum
graduum
libertatis
Christia-
nae.

§. XIX. diximus supra, (a) quod fundamentum libertatis in statu Gratia sit sapientia divina & robur coeleste, Christi beneficio nobis acquisitum. Hinc generalis usus nostrae doctrinae est, ut exinde perspiciamus fundamentum communis doctrinae Theologicae, de quatuor libertatis Christianae gradibus, quas exhibuimus supra. (b) Nimirum quod liberati simus a Lege, qui primus est gradus: quod ex spiritu libero & spontaneo Deo credamus & obsequamur, qui secundus est gradus: quod leges Mosaicae forenses & ceremoniales vim suam amiserint, qui tertius est: quod denique traditionibus humanis non sint onerandae conscientiae, qui quartus est libertatis gradus: id omne unde nobiscerto innotescat, si quaeratur; quod nimirum divina voluntas nos in istam libertatem remittere voluerit, una responsione defungi licebit. Nimirum quia sapientia divi-

(a) §. 11. & 12. hujus Cap. (b) §. 6. 7.

divina sive Spiritus Christi in Verbo suo nobis revelavit, hæc omnia ita comparata esse. Quæ tanto quisque luculentius & profundius vera esse cognoscet, quanto majori sapientia divina & lumine cœlesti fuerit illustratus.

§. XIX. Præcipuum deinde fructum capiemus ex definitione libertatis in statu Gratia, ejusque fundamento (a) explicato, si attendamus, quod exinde facili negotio perspicere possimus, quid sit falsa libertas in statu Gratia. *Quid sit falsa libertas in statu Gratia.* Falsa nimirum libertas in statu Gratia est, qua quis sibi perperam imaginatur, se divinis perfectionibus, robore & lumine pollere, cum tamen sensuum & imaginationis imperio identidem sit obnoxius, ut nec divinos nutus puro corde percipere, nec iis obedire possit; (b) leges interim secundum rectam rationem latis, temere & sine causa convellere nitatur.

Cc

§. XX.

(a) §. 3. II. 12. (b) II. Petr. II, 18. 19. Gal. V, 13. I. Petr. II, 16.

Falsa libertas destituitur sapientia celesti.

§. XX. Falso itaque præsumpta libertas est eorum, qui sapientia celesti destituuntur, quæ libertatis fundamentum est; (a) nihilo tamen minus interim vel sibi, vel aliis, libertatem credendi, aut agendi pollicentur. Hi turpius periculosiusve errore decepti labuntur, quam illi, quibus persuasio hæret, se posse viribus suis montes subvertere, cum interim ægri & languentes lecto decumbant. De hujuscemodi hominum genere loqui videtur Apostolus, dum ait: *qui loquuntur, quæ prætumida vanitas, non sapientiæ celestis castimonia, ipsis dictitavit, libertatem pollicendo, cum ipsi sint servi corruptela.* (b)

Falsa libertas cupiditatibus naturæ facta.

§. XXI. Falsam quoque illorum libertatem esse, ex superioribus (c) patet, qui ejusdem obtentu libertatem status Gratiaë arripiunt ad datam carni occasionem, uti Apostolus loquitur, (d) quique veluti velamen malitiæ

(a) Per. 5. 3. 11. 12. (b) II. Petr. II, 17. (c) Ex 5. 3. 14. (d) Gal. V, 13.

tia habentes libertatem notantur. (a) Ostensum enim a nobis est, quod qui libertate in statu Gratia donatus est, affectus atque cupidines ita moderari sciat, ne ad prohibita flagitia, aut quae alteri sunt offendiculo, prolabatur. Foede proinde lapsi sunt illi, qui apud Tertullianum (b) *Cajani & Carpocratiani* appellantur, atque de quibus idem prodidit, quod in omni scelerum genere perfectionem suam constituerint.

§. XXII. Neque minus falsam sibi *Falsa libertas legibus constitutis, honestis & in- differentibus re- luctatur, easque convellit.* status Gratia libertatem praetexunt, qui ordini & moribus honestis repugnant, aut consuetudini introductae, quae in se nihil habet vitii, sed & antiquitatis memoriam custodit, & ad formandos ad obedientiam juniorum animos facit, se submittere recusant, eamque libertatis spiritualis privilegio damnant, aut intempestive leges constitutas convellendas aut tollendas vociferantur. Novimus

Cc 2 ni-

(a) I. Petr. II, 13. (b) De praescript. cap. 33.

nimirum (a) libertatem spiritualem nulli rei, vel per se indifferenti vel innoxiae opponi; imo potius, libertatem hanc ad id concessam nobis divino favore fuisse, ut cum aliis, qui diversis a nostris ritibus, vel vitae consuetudine haud vitiosa enutriti sunt, conversationem inire, & ipsos ad sententias salutares tanto facilius traducere queamus. Id quod intemptiva rerum in medio positarum innovatione, aut illiberali reprehensione haud quaquam obtinetur.

Libertatis in statu Gratiae praestantia.

§. XXIII. Ex iis, quae dicta sunt, discimus, quam praestans hominis conditio sit, qui in vera libertate status Gratiae constituitur, ad quam gloriosae felicitatis spem universis merito adspirandum est. (b) Pone enim hominem in sapientia caelesti vel ignarum, vel perperam institutum, is perpetua cum conscientiae animique dissensione apud se luctabitur, an hoc vel illud agendum, aut uti Apostolus

lo-

(a) Per 9. 15. (b) Rom. IX, 21.

loquitur, (a) gustandum vel attingendum sit. Severa quandoque propter res levioris momenti, & quæ nihil ad rationem hominis Christiani faciunt, perferre etiam cogetur is, qui libertatem in rebus istis, quæ secundum Apostolum (b) ipso usu corrumpuntur, sibi non permissam opinatur. Quantum enim dissensionum dederint in primitiva Ecclesia Controversiæ de Celebratione Festi Paschatos, de esu carnum, de imaginibus similibusque, satis ex Historia Ecclesiastica intelligitur, quæ utinam recentiori ævo nunquam vel reducerentur, vel reducta fuissent. Quisquis ergo veræ libertatis cognitione, quæ in Christo est, destituitur, infantis instar lacrymari, commoveri, animo angî & affligi cogitur, quoties alteri placuerit ipsum vel inanibus umbris perterrere, vel in occasiones introducere, ubi agendum quippiam est, quod an permissum Conscientiæ Christianæ,

Cc 3

næ,

(a) Col. II, 21. (b) Col. II. 22.

næ, an vëro secus sit, ignorat. A quibus terroribus panicis ejus cor omnino liberatum deprehenditur, qui a Christo in veram libertatem restitutus, (a) & ejusdem sapientiæ Spiritu autore, libertatis genuinæ indolem perspectam habet. (b)

(a) Joh. IIX, 36. (b) II. Cor. III, 17.

CAPUT XIII.

Dehypocrisi in statu supernaturali.

SUMMARI A.

Divisio Capitis. §. 1.

I) Unde hypocrisis in statu supernaturali oriatur.

Quod detur hypocrisis in statu supernaturali. §. 2.

Causa Ima hypocriseos ambitio. §. 3.

Causa IIa hypocriseos, aliqua nostri ignorantia. §. 4.

Causa IIIa hypocriseos commodum. §. 5.

Causæ simul conjunctæ. §. 6.

Hypocrisis valet tantum apud ignaros & simpliciores. §. 7.

Remedia adversus hypocrisim. §. 8.

II) Quid sit hypocrisis in statu supernaturali.

Quid sit hypocrisis. §. 9.

Rationes dicti Luc. XII, I. 2.

§. 10.

III) Quo iudicio hypocrisis

in statu supernaturali cognoscatur.

Æqualis æqualem tantum cognoscit. §. 11.

Tria hypocrisim constituent. §. 12.

Primum causa est secundi & tertii. §. 13.

Quid requiratur ad cognoscendam hypocrisim. §. 14.

Illustratur exemplo. §. 15.

Quomodo aliorum defectus nobis innotescant. §. 16.

Cur virtutis studium sit amplectendum. §. 17.

Experientia & tempus ad cognoscendam hypocrisim necessarium est. §. 18.

Cur tegere potius & emendare aliorum defectus; quam publicare nos oporteat. §. 19.

§. I.

§. I.

Tria nobis hoc capite attin- *Disiſio*
 genda sunt: *unum* unde hy- *capitis.*
 pocriſis in ſtatu ſupernatu-
 rali oriatur: *alterum*, quid
 ſit hypocriſis in ſtatu ſupernaturali:
tertium quodnam hypocriſeos hujus
 criterium ſive indicium ſit.

1) *Unde hypocriſis in ſtatu ſuper-
 naturali oriatur.*

§. II. Statum ſupernaturalem mu- *Quod de-*
 tationi eſſe obnoxium, ſup (a) in- *tur hypo-*
 dicavimus. Mirum proinde videri *criſis in*
 non debet, ſi homo in eodem vel ad- *ſtatu ſu-*
 huc conſtitutus lapſus aliquos com- *pernatu-*
 mittat, vel a ſtatu Gratiaſe ſuperna- *rali.*
 turali plane deficiens in deterius pro-
 labatur. Quomodo & quam varie
 utrumque contingat, noſtrum in
 præſenti non eſt explicare. De uni-
 co tamen in ſtatu Gratiaſe admodum
 frequenti vitio ejuſque origine pauca
 tradituri ſumus, id quod in ſacris li-
 teris *hypocriſeos* nomine notatur, &
 quod Chriſtus tantopere ſuos cavere

jussit. Notandus imprimis nobis ille locus est, (a) ubi Servator noster inquit: *Imprimis cavete vobis a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis. Nihil enim opertum est, quod non detegatur: & nihil occultum, quod non innotescat.* Quæ sententia nobis circa hypocriseos originem meditandi occasionem suppeditat.

*Ambitio
causa I.
hypocri-
seos.*

§. III. Homo, qui in statu Gratiaæ supernaturali divina ope animum emendare cœpit, multis tamen infirmitatibus vitiisque se consectantibus adhuc est obnoxius. Defectus vero suos & animi vitia apricari, pudori nobis apud alios est, & conceptam de nobis existimationem aut sanctimoniam opinionem minuit. Utrumque hominem, imprimis qui natura elatioris est indolis laudisque atque gloriae cupidæ, vehementer mordet. Occultandum proinde est aliis, quicquid nobis deesse conscii sumus. Hæc prima est causa hypocriseos, quæ ex *ambitione* proficiscitur. §. IV.

(a) Luc. XII, I. 2.

§. IV. Animus vitia & defectus suos sæpe aliis dissimulans, tandem defectibus suis assuescit, illosque non tanti, quam antea facit, imprimis si cœteri bona fide credant dissimulatis moribus, eosque optimos existiment. Hinc ipse de se melius, quam antea existimare incipit, & uti amor naturalis ad nos decipiendos valde est ingeniosus, fit, ut nos vitia nostra amplius vix videamus, & quæ antea in nobis animadvertimus, vel leviora, quam prius putemus, vel non amplius inter vitia computanda esse credamus. Hinc ex amore nostri in existimationem falsam de nobismet ipsis, ex existimatione falsa in ignorantiam vitiorum nostrorum incidimus, ut nobis injuriam fieri opinemur, si quis de nobis, uti revera comparati sumus, existimet. Quod si tamen ex alterius demonstratione & vita nostra veritas dictorum pelluceat, putare solemus, excusanda esse, dissimulanda & extenuanda errata aut

*Ignoran-
tia ali-
qua no-
strica
II. hypo-
triseos.*

alio nomine honestiori appellanda. Atque hæc secunda est causa hypocri-
seos, quæ ex *ignorantia* nostrioritur,
quæ priori ferme periculosior imo
ejus fons est, quia plerumque cum
crudelitate in adversantes, quasi ab
ipsis injuria inferretur, conjuncta
est.

*Commo-
dum cau-
sa III. hy-
pocri-
seos.*

§. V. Tandem in vita ita compa-
tum est, ut de aliis hominibus emo-
lumentum capiamus, quibus prodes-
se possumus. Nemo autem facile
credit, nos cuiquam prodesse posse, si
laborare defectibus & vitiis nos ipsos
conspexerit. Igitur summa lex est
illi, qui emolumentum ab aliis spe-
rat, ut animi sui vitia occultet, & per-
fectioris virtutis habitu se obvelet.
Quod omnino facere cogitur, si in
statione quadam se jam collocatum
videt, ubi citra hanc vitæ simulatæ
rationem vitam tolerare nescit. Hæc
tertia hypocri-
seos causa est, quæ ex
emolumento, quod ab aliorum de no-
bis concepta opinione sperare possu-
mus, procedit.

§. VI.

§. VI. Soepe autem fit, ut tres hæ Causa si- mul con- junctæ. rationes hominem simul stimulent, ut hypocrisin exerceat, nimirum ut *ambitione, & ignorantia sui, & emolu- menti spe* agitetur. Ex quo patere potest, cur Christus *in primis hypocrisi* fuerit infensus. Apparet enim ma- lum ferme esse insanabile, si tribus hisce causis ad decipiendos homines quis propellatur, postquam semet- ipsum decipi vitioso animi habitu passus est. Hic enim fons & origo omnium est malorum, quæ unquam res Christianas affligerunt.

§. VII. Illud vero notandum est, Hypocri- sis valet tantum apud ignaros & simpli- ces. neminem hypocrisi ad commodum suum uti posse, nisi apud ignarum aut qui minori pollet intellectu, quam is, qui hypocrisin adhibet. Animo enim majori sapientia donato statim appa- rebit, quod alter sibi scientia par aut inferior, hypocrisin loco veritatis usurpet. Quare Christus Phariseos & Scribas statim hypocriseos coar- guit, ubi ipsi simulabant, se velle quic- quam

quam ab eo discere. (a) Hæc etiam causa erat, cur ipsum nunquam ferre potuerint. Est enim pergrave testem suorum scelerum habere, inprimis si metuendum sit, ut ab ipso publice arguaris. Contra plebi & imperitæ multitudinî Pharisæi omnium facillime imponere potuerunt, quam in sui admirationem beneficio hypocri-
seos rapere didicerant.

*Remedia
adversus
hypocri-
sim.*

§. IIX. Antequam hic discedamus, remedia quædam adversus communem istam rei Christianæ pestem, verbo saltem nobis indicanda sunt. *Prima* hypocriseos speciei, quam §. 3. ostendimus, medetur *humilitas Christiana & ingenua confessio*, (b) scilicet ut se sapere ostendat tantum, prout Deus ipsi partitus est ad mensuram fidei. (c) *Secundæ* speciei occurritur præcepto Apostoli, ut recte nos sciamus cognoscere: (d) *Quod si quis sibi videtur aliquid scire, nondum quiddam*

no-

(a) Matth. XXII, 16. 18. (b) Jac. V, 16.
(c) Rom. XII, 3. (d) I. Cor. VIII, 1. 2.

novit, sicut oportet esse: & (a) porro: Non elata de vobis ipsis sentiatis, sed humilibus obsecundantes. Ne estote prudentes apud vosmetipsos. Tertia hypocriseos causa profligatur, si observetur sapientissimum Imperatoris Marci Antonii Philosophi dictum, qui se Deum imitatum profitebatur in eo, ut quam paucissimis indigeret, plurimis autem beneficeret. (b)

II) *Quid sit hypocrisis in statu supernaturali.*

§. IX. *Perspectis hypocriseos causas, & unde natales ducat, restat, ut definitionem ejus subjiciamus. Quoniam vero varias hypocriseos species & causas adduximus, proponendæ jam forent totidem definitiones speciales; sed quoniam brevitatis perquam hic sumus studiosi, dabimus tantum definitionem in genere. Est itaque hypocrisis in statu supernaturali*

(a) Rom. XII, 16. 17. Conf. P. II. Cap. IX. §. 7. seq.

(b) Vid. Juliani Cæsares a P. Cunæo in latinum versi & Orat. ejus a Cl. Cellario Lipsiæ editis subjuncti: p. 517. Add. Hebr. XIII, 5. 6.

li deceptio, qua quis vel ambitione, vel aliqua sui ignorantia ductus, vel ob emolumentum vitia animi dissimulat, & se virtute, donis Gratia divinis aut majoribus, quam par est, perfectionibus preditum esse, aliis falso persuadere conatur.

*Rationis
dicti Luc,
XII, 1. 2.*

§. X. Quibus ita constitutis, mens Servatoris citato loco (a) non amplius obscura esse potest. Admonet nimirum discipulos, ut *περὶ τὸν*, imprimis sibi caveant ab hypocrisi. Ratio hujus commonitionis a nobis (b) adducta est. Nam qui hypocrisi impulsus alicujus rei agenda curam in se suscipit, non modo animo vitii imbuto institutum suum pertendit, sed quod simplici vitio pejus est, specie virtutis & fucato habitu probitatis simplicioribus & ignaris imponit. Atque illud quidem obtentu pietatis & zeli divini tam specioso, ut alios, qui hypocriseos larva non decipiunt, apud communem mul-

(a) Luc. IX, 1. 2. (b) §. 6. & 7.

multitudinem & imperitum vulgus sic in invidiam adducat, ut licet fraudem aperte animadvertant, cedere cogantur hypocriticis figuris, ni perire ipsi velint. Appellat autem Christus hypocrisin *fermentum*, quia vis est illius tam subtilis & acuta, adeoque animis incautorum tam facile & tam profunde sese insinuat, ut reliqua, quæ in mentibus sana forte superesse poterant, penetret & contagie sua corrumpat. Hoc illi intelligent, qui consideraverint, quod intentio prava actionem in se non profusus malam, penitus tamen vitiis contaminet. Qualis enim causa est, quæ nos ad actionem suscipiendam determinat, talis etiam actio ipsa iudicanda est: & cum in opere, quod hypocriseos impulsu suscipitur, causa mala sit, quæ tamen boni speciem habet, necessum est, ut fermentum ad totum opus se diffundat. (a)

Addit Christus, cavendum esse a
fer-

(a) Matth. VI, 22. 23.

fermento *Phariseorum*, cui (a) sub-
 jungitur fermentum *Herodis*. Apud
 Matthæum autem (b) explicatur fer-
 mentum de doctrina Phariseorum
 & Sadduceorum. Et de Herode
 quidem notum est, ipsum vitia sua
 summa cum industria velare potuisse,
 qua ex causa vulpes a Christo appel-
 latur. (c) Videtur itaque Christus
 commonere voluisse, ut caverent ab
 hypocrisi & deceptionibus, quæ per
 externa parantur, uti erant Phariseo-
 rum: (a) & ab hypocrisi subtiliori,
 quæ artes politicas adhibet, qualis
 erat Herodis: & ab hypocrisi, quæ
 perversis sententiis offendeat, ut Sa-
 ducei fuisse traduntur.

Cur vero homini pio & sincero
 hypocrisis vitanda sit, sic explicatur a
 Christo: (e) *quia nihil opertum est, quod
 non detegatur, & nihil occultum, quod
 non innotescat*: id est, licet per ali-
 quod temporis intervallum homines de-

(a) Marc. IIX. 15. (b) Cap. XVI, 12. (c) Luc.
 XIII, 32. (d) Luc. XI, 39. (e) Luc. XII, 2.

decipiantur hypocrisis & piis fraudibus, elucescet tamen aliquando dies, ubi discussis hypocriseos nebulis, sapientiores fraudem detegent, & decepti, animadverso errore, artes has malignas detestabuntur. (a)

III) Quo iudicio hypocrisis in statu
Gratia cognoscatur.

§. XI. Par parem, & superior, (quia ^{Equalis} etiam par est alteri) inferioris defectum in aliqua scientia ob affinitatem ^{aqualem} disciplinæ & rerum, cognoscere ^{tantum} posse supra (b) ostensum est. Quapropter qui sapientia & solido in rebus sacris iudicio est instructus, si ^{cognoscit.} animum advertit, haud difficulter distinguet hypocrisin a vero & genuino Christiani habitu, eodem ferme modo, quo supra (c) cognoscetur batur, an aliquis Testimonio & Gratia cœlesti esset donatus. Verum illis, qui infra eum, cui hypocrisis cordi est, scientia subsistunt, plane

Dd dif-

(a) Conf. §. 7. (b) Gen. IX, §. 18. seq.

(c) Cap. IX.

difficilis erit ejusdem cognitio. (a)

*Tria by-
pocrisin
consti-
tuunt.*

§. XII. Cæterum ad recte cogno-
scendam hypocrisin, planior dari via
vix potest, quam ut ejus naturam ex
definitione plane perspectam habea-
mus. Sunt autem tria, quæ hypo-
crisin aut constituunt, aut perpetuo
comitantur. Est I. vitium aut *de-
fectus* aliquis in animo, quem Galli
convenienti vocabulo *un foible* ap-
pellant: II. *Occultatio*, aut dissimu-
latio hujus defectus: III. *Commodum*
aut emolumentum, quo aliquis ad
decipiendum per vitii occultationem,
quod in animo suo deprehen-
ditur, impellitur. Dico *vitii*,
quod in animo suo deprehenditur, &
ad hominem ipsum pertinet. Nam
si quis defectum rei alicujus extra se
positæ, uti mercedis, equi &c. occul-
tet ob commodum aliquod ex de-
ceptione hac speratam, is non solet
dici hypocrita, sed simpliciter dece-
ptor

(a) Vid. Cap. IX, §. 17. in fine.

prior aut fraudulentus impostor.

§. XIII. Manifestum autem est, ^{Primum est causa} quod prior numerus, nimirum ^{secundi} defectus ^{& tertii.} animi aut vitium semper occasionem det, & impellat hominem ad reliqua, scilicet ad *occultandum* vitium, ut ne *commodo* aliquo excidat. Nam si quis vitio aut animi defectu non laborat, cur quæso necessum est, ut dissimulet, aut ut commodi damnum metuat; aut si quis dissimulaverit, cui nullus animi defectus adheret, is non hypocrita, sed dissimulator, aut maliotiosus, aut simili nomine appellatur. (a)

§. XIV. Ergo qui hypocrisin in aliquo deprehendere cupit, ipsi ante ^{Quid requiratur ad cognoscendam hypocrisin.} omnia opus est, ut alterius *defectus* aut *animi vitium* recte perspiciat, quo cognito facile deinceps videbit, quomodo occultetur vitium, & quanto cum artificio alios a vitii hujus observatione avertat, ut hos decipiat.

Dd 2 Hinc

(a) Conf. Pars I. Cap. 9. §. 2.

Hinc regulæ loco certissimum est axioma: *Qui alterius animæ vitia & defectus recte obseruat, & perspectos habet, is in noscenda hypocrisi tanto erit certior & felicior.* Videbit enim hinc perfacile, quibus in actionibus homines vitiis laborantes dissimulent defectus ad commodum suum.

Illustratur exemplo.

§. XV. Hinc Christus, (in materia enim sacra exemplo perfectiori & ad rem magis accommodato uti non possum.) quia Phariseorum, Sadduceorum, Scribarum, Herodis cæterorumque animi vitia non ignorabat, statim perspexit, quibus in rebus boni isti viri uterentur hypocrisi, aut ubi sincerius agerent. Quod indicare videtur Evangelista, quando in historica relatione (a) de colloquio Christi cum Phariseis ait: *Cognita autem Jesus malitia* (Hoc enim erat animi vitium, cujus causas (b) explicatas dedimus) *ipsorum, inquit: hypocrita &c.* Hæc quoque causa esse vi-

(a) Matth. XXII, 18. (b) §. 3-6.

videtur, cur in historia Evangelicâ de Christo legamus, quod aliquando cum Pharisæis, Scribis & ipsorum similibus, aut saltem cum aliquibus ex illis, benignius & mitiori animo, interdum aperte, interdum autem, uti ipsorum merebatur hypocrisis & vitiosus animi habitus, satis severe juxta & circumspecte egerit.

§. XVI. Unde vero, inquires, cognoscetur alterius vitiosus habitus animi, & quomodo defectus ipsi familiares innotescant? Ad quod respondendi aliter nequit, quam quod vitium non nisi ex virtute, & accenso per illam lumine possit cognosci. Quemadmodum curvum & obliquum non nisi ex mensura recti cognoscitur. Supra enim (a) ostendimus, quod superior sibi in aliqua scientia inferiorem, & par parem cognoscat. Est enim æterna veritatis regula, *quod similis simili gaudeat, & similis similem*, quatenus ipsi similis

Dd 3 . est,

(a) P. II. Cap. IX, §. 18.

est, *cognoscat*. Hinc Musicus excellens minus excellentem ejusque habitum in arte musica cognoscit. Est enim ipsi non solum par quoad scientiam, sed adjectit ad paritatem scientiæ etiam gradus excellentiæ. Pares autem in arte musica se cognoscere, & libenter ob similitudinem artis inter se sociari, res adhuc est manifestior; & quæ vel sensibus animadverti potest. Hinc sequitur, quod vitiosus vitiosos habitus in altero, qui sibi similis est, facile animadvertere possit. De perfectione autem virtutis, quæ alteri adest, pronunciare vitiosus nequit. Contra, qui recta rerum intelligentia, virtutis lumine & perfectionibus animi gaudet, is de defectibus alterius facile pronunciare poterit. Quia defectus hos prius in se cognoverat, adeoque ipsis erat similis; jam vero postquam eos emendavit, vitiis superior est, adeoque tanto melius & accuratius eos contemplari poterit.

§. XVII.

§. XVII. Quæ post multas alias ^{Cur vir-} causas præclara præstansque ratio ^{tutis stu-} est, cur animum ad virtutis cultum ^{dium sit} applicare, & ad defectuum nostro ^{ample-} rum emendationem traducere de- ^{ctendum.} beamus. Ita enim alios facilius cognoscere discemus, ut ab iis nobis cavere, & vitam nostram prudenter atque ad recti iudicii normam instituire possimus. Postquam enim divina bonitatem nobis perspectum fuerit, in quo virtutis & recti agendi ratio sit posita, de defectibus & vitiis tanto judicabimus rectius, quanto magis in opposita vitiis via, quæ ad veritatem & virtutem comitatur, profecti fuerimus.

§. XIX. Sed cum longa ad virtu- ^{Experi-} tem & difficilis via sit, neque ad eam ^{entia &} perfectionem deferri quenquam fa- ^{tempus} cile contingat, ut pronunciare de al- ^{ad co-} tero sine omni erroris aut lapsus metu ^{gnoscen-} possit: proinde optimum fuerit con- ^{dam hy-} silium, tempori concedere plurimum, ^{pocrisim} quod alterius animi defectus & mor- ^{requiri-}

bos, quemadmodum etiam perfectiones & virtutes, rectissime prodet. Adeoque etiam experiendo discere in hac re potissimum discendi genus erit. (A)

*Cum te-
gere po-
tius &
emenda-
re alio-
rum de-
fectus,
quam pu-
blicare
nos oportet.*

§. XIX. Monuisse hoc loco juvat, antequam hic discedamus, omnes virtutis & sapientiæ celestis amantes, ne, si vitia & defectus aliorum etiam ex asse perspectos habeant, ideo ista sapientia ad dedecus & ignominiam istorum, quibus vitia inhærent, unquam utantur, neque liberum sibi existiment publicare sententiam suam de aliorum animi habitu, quæ ipsis divina liberalitate multo alio fine contigit, quam ut turpitudinem aliorum scriptis satyricis aut obtreptione in publicum propellant, & miseris ad calamitatem famæ ipsorum insultent, quibus aliter medendum potius erat, nec tam sævo remedio malum exasperandum. Arguit nimirum illud levis & intemperan-

(A) Conf. Part. II. Cap. IX. §. 22.

rantis animi pruritum, alienisque malis se oblectantis. Deus omnes defectus videt, omnes fert, ad omnia filet, mitissimis tantum adhortationibus peccantes ad emendationem sollicitat, nullius clade aut ignominia delectatur. Certe enim cognitio aliorum eorumque defectuum nobis non alium ob finem contigit, quam ut ab ipsorum malo animi habitu cavere possimus, sicubi negotium nobis cum ipsis intercesserit, non sane ut ipsorum maculas & animi labem publicis tabulis inscriptam suspendamus, inprimis ubi nullus exinde usus, præterquam vitiosorum hominum opprobrium, & sola delinquentium infamia quæritur.



Dd 5

CA-

CAPUT XIV.

De usu doctrinarum superiorum brevis commonefactio, quæ totius operis summam & methodum exhibet.

SUMMARI A.

Fundamentum divisionis hujus operis in duas partes. *Usus Partis Idæ Capitis VI. VII. §. 9.*

§. 1. Summa doctrinæ PARTIS Idæ Capitis I. II. III. IV. §. 2. *Usus Part. II. Capitis VIII. IX. X. XI. XII. XIII. §. 10.*

Summa doctrinæ *Part. Imæ* I) *Commonefactio generalis.*

Capitis V. & VI. §. 3. *Quomodo legendæ sint hæ meditationes. §. 11.*

Summa doctrinæ *Part. I.* II) *Commonefactio specialis.*

Capitis VII. VIII. IX. §. 4. *Monitum circa methodum conscribendi. §. 12.*

Usus Capitum Partis primæ generalioris. §. 5. *Monitum circa stylum. §. 13.*

Summa doctrinæ PARTIS Idæ Capitis I. II. III. IV. V. §. 6. *Monitum circa res ipsas. §. 14.*

Summa doctrinæ *Partis secundæ* Capitis VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. §. 7. *Promittuntur in gratiam simpliciorum Testimonia Theologorum Orthodoxorum. §. 15.*

Usus doctrinæ Partis Idæ Capitis I. II. III. IV. V. §. 8. *Verum. §. 16.*

§.

Fundamentum divisionis hujus **H**omini & Christiano duo meditata sunt, ut felix & beatus sit, *Tem-*

Tempus & Aeternitas. Ad *Tempus* ea pertinent, quæ homo sensuum & rationis naturalis ope per hanc vitam in rebus ad corpus pertinentibus tractat. Ad *Aeternitatem* ea referuntur, quæ cor Christiani de rebus divinis & celestibus percipit, & quæ ad beatitudinem animæ suæ in futura & perenni vita nosse debet. Hæc ratio est, cur in duas partes demonstrationem hanc nostram distinximus. *Prior* nimirum pars generatim explicat principia, quibus res humanæ earumque intimior notitia innititur, id quod vera *Philosophia* appellatur. *Posterior* edisserit doctrinarum fundamenta, quæ rerum divinarum cognitionem, in hac & futura imprimis vita necessariam, pandunt, & cordis nostri statum expediunt, id quod *Theologia* nomen accepit. Quoniam vero homo in tempore ad aeternitatis cognitionem possessionemque se preparare debet, hinc factum est, ut parte priori quadam proposita sint, qui-

quibus rerum divinarum cognitio in-
nititur, quibusque rite perceptis, adi-
tus paratur ad solidam Gratiae divi-
nae notitiam.

Doctri- §. II. Nemo felix atque beatus
naParti unquam erit, nisi de sententiae & vi-
Ima. tae ratione certus sit. Certus autem
Cas. I. animo esse nequit homo, qui se suas-
It III. que animi vires & facultates non re-
IV. V. cte cognoscit, aut ad quem finem hæ
proposi- ipsi datae sint, & quas res mente sua
ta. cognoscere possit & debeat, ignorat.
Itaque hæc a nobis breviter, sed
quemadmodum puto, perspicue ex-
plicata leguntur *Parte Ima Capite*
Imo. Quando autem, quam variè
& quibus criteriis constet, nos cer-
tos de re quadam esse *Caput II* dum
ostendit. Ut hisce perspectis, dif-
ferentiam Naturæ & Gratiae, quid
ratio illuminata & sibi relicta, quid
dona sanctificantia & administran-
tia, naturalia & infusa sint, veluti in
prima origine perspicere liceat, *Ca-*
put III edocet, ubi origo omni-
-ter

er-

erroris ex ignorantia nostrarum percipiendi facultatum deducitur, & exemplis *Scepticismi*, *Superstitionis*, *Naturalismi*, *Fanaticismi*, *Atheismi*, *Fatuitatis* & *Stoicismi* illustratur. Quomodo contra sensuum & rationis idearumque judicio recte & certo fidere sine erroris metu queamus, *Capite IV^{to} & V^{to}* indicatur.

§. III. Ducem omniam actionum nostrarum, qui nos perpetuo comitatur, alium in nobis non invenimus, præter *Conscientiam* nostram. Quam quomodo sequi oporteat, quid conscientia sit, & quam varia, explicatur *Capite VI^{to}*. Quomodo vero recte uti *Imperio civili*, aliis vero obedire in statu naturæ conveniat ad nostram felicitatem, *Caput VII^{mum}* docet.

§. IV. Libertas vulgo res aurea prædicatur. Quid illa sit, quomodo acquiri, quibusve fundamentis innixa sit & conservari possit, ex *Capite VIII^{vo}* videre est. Sed cum multi

ti perfectionibus & robore, quibus libertas nitiatur, se pollera falso jactent, inquirendum. nobis fuit Capite IX^o in hypocriseos originem, naturam, & an hypocrisis uti jura quis possit.

*Ufus Capitulum
Partis
Ima generalis.*

§. V. Ex quarum rerum cognitione ista generalis capi potest utilitas, at naturæ nostræ perfectionem notitiam nobis comparemus, ut de scientiis, quas excolumimus, rectum ferre judicium condiscamus, an recto & omni exceptione majori fundamento innitantur, atque intelligamus, an actiones nostræ conscientia recta duce profectæ sint, an perfectiones animi nostri mereantur libertatis jura & beneficia, vel annon hypocriseos ope speciem potius & imaginem virtutis, quam virtutem ipsam præ nobis feramus, quæ se ascititio colore tuetur, ne defectus & infirmitas nostra cum damno & clade dissimulantis palam fiat.

*Doctrina
Parte
Uda Cap.
Imo,*

§. VI. Post corporis sanitatem & excultum rationis judicium, nihil homini

mini carius esse potest, quam animæ *IIdo*,
 salus æterna & quæ eo ducit, rerum *IIIto*,
 cœlestium solida cognitio. Atque *IVto*,
 hoc est, quod *Parte II^{da} speciali ex-
 Vto,*
 plicatur. Quid sit *Gratia*, quid *Re-*
ligio, quid *Atheismus*, & *Superstitio*, & *proposita.*
 quomodo Religio differat ab impe-
 rio civili, traditur. *Capite I^{mo}*: Reli-
 gionis præcipuum est officium dedu-
 cere nos ad Spiritus S. Testimonium
 internum. Hoc quid sit, & an de-
 tur, *Capite II^{do}* disquiritur. Nemi-
 nem vero, qui ejus non fuerit per-
 ceptione propria particeps factus, in-
 telligere, quid Testimonium Spiri-
 tus S. internum sit, neque illud qui-
 dem se extendere ad alium *Capite*
III^{to} docetur. Quod autem Testi-
 monium hoc superet certitudine cœ-
 teras veritates omnes, *Caput IV^{tum}*
 demonstrat, & quatenus fallatur in-
 ter alios *D. Job. Clericus*, præferens
 lumen rationis luci fidei & sacro huic
 Testimonio. Neque tamen ullum
 hominem compelli posse vi, ut ali-
 quid

quid de eodem divino Testimonio affirmet, licet argumentis & rationibus ejusdem existentia probabilis ignaro reddi possit, ex *Capite V^{to}* clarum est.

*Doctri-
na Parte
II da.
Cap.
VI^{to},
VII^{mo},
IIX^{to},
IX^{no},
X^{mo},
XI^{mo},
XII^{mo},
XIII^{io},
proposi-
ta.*

§. VII. Ne tamen nimium aut parum, quam decet, Spiritus S. Testimonio tribuatur, probat *Caput VI^{um}*, quod in supernaturalibus tantum erudiamur per hoc Testimonium, & quid inter initia & profectus conversionis illud doceat, quo ve potissimum sine cuique detur. Hinc arguuntur *Capite VII^{mo}*, quod perperam illi agant, qui Testimonium Spiritus S. ad res rationi & sensibus proprias extendunt, & hujus obtentu linguas & scientias humanas negligant, licet non negetur, quod animus Gratia cœlesti donatus multum juvet rationem atque sensus. Proponuntur deinde *Capite IIX^{vo}* subsidia generalia & specialia, ad acquirendum Spiritus S. Testimonium apprime facientia. Quomodo autem quisque
vel

vel de se, vel de alio persuasus esse possit, quod Gratiā cœlestis Testimonio sit donatus, *Capite IX^{no}* monstratur. Inde ad officium docentis, *Capite X^{mo}*, atque ad Testimonium hoc sanctum in se percipere volentis, sive auditoris *Capite XI^{mo}* se tractatio convertit. Ex quo colligitur, gaudere Christianos *libertate spiritali*, cujus fundamentum, definitio & usus, uti & falsæ libertatis notæ *Capite XII^{mo}* proponuntur. Et notatur libertatis Christianæ oppositum, nimirum | hypocrisis *Capite XIII^{io}*, ubi origo hypocrisis in statu supernaturali, ejusdem natura, & quomodo eadem cognosci possit, summatim indicatur.

Hæc quidem brevis summa est nostræ tractationis specialis, qua præcipuæ res continentur & explicantur, quæ ad illustrandam doctrinam de Testimonio Spiritus Sancti interno & de Religione salvifica cognitu summopere esse necessaria videntur, quæ-

E c

que

que talia sunt, ut à nemine fere citra lapsus gravissimos ignorari possint. Quodsi animus nobis fuisset aliorum errata percensere, facile quidem ostendi potuisset, plerasque aberrationes, quæ olim hodieque orbem Christianum in Religionis negotio affixerunt, ex hisce, quæ proposita sunt, aut ignoratis aut non recte intellectis vel perperam applicatis, tanquam ex generali quodam errorum fonte manasse. Quibus proinde rectius perspectis, spes est, fore, ut feliciter in fide, rebus sacris & vera pietate provehamur. Neque vero animus nobis in præsentem fuit, ut ad specialem cujusque hominis statum internum excutendum vel emendandum progredere-mur, quod uti cuique sedulo in semetipsum inquirenti salutare est, ita in tractatione hac generali, ubi principia proponuntur, commode fieri non potuit, quæ tamen sic comparata est, ut aliquis exinde mediocri studio & meditatione, specialiore sibi de rebus inter-

in eternis cognitionem acquirere possit, atque tum demum recte intelligatur, cui bono & fine principia hæcce proposita sint.

§. IIX. Utilitatem ex propositis doctrinis eam potissimum capi posse existimamus, ut primum rectam de Gratia ejusque statu ideam animo concipere, & quid sanctum Religionis veræ officium nos docere debeat, intelligere queamus. Cavere autem condiscant Christiani homines, ne unquam imperii civilis naturam cum Religionis munere confundant, qui perniciosissimus & turbarum atque cladum feracissimus error est. Inde enim vel Papo-Cæsariam, vel Cæsaro-Papiam, ut vocibus notis utar, hoc est, vel Monachale regnum, vel Religionem aulico-tyrannicam surgere necessum est conspiciemus. A quo alienos ipsorum animos inprimis esse oportet, qui luculentis argumentis intellexere, Testimonium Spirit. S. quod omnis Religionis summa & finis est,

Ec 2

aliis

aliis nec vi obtrudi debere, nec ad alios, qui isto nondum donati sunt, porrigi, syasionibus tamen hortatu & exemplis ignaros eo duci sine tormentis & fustibus posse.

*Ufus
Partis
IIdae,
Cap.
VIti,
VIIImi.*

§. IX. Cognoscent deinde divinæ sapientiæ cultores, non repudiandas esse ipsis lingvas & scientias seculares, etiam si præcipue eorum cura in eo ponatur, ut ad Gratiaæ cœlestis Testimonium, postpositis omnibus, iis tamen non plane rejectis, enitentur. Quoniam eruditum & pium, divinæ sapientiæ & humanæ doctrinæ peritum, non repugnare sibi invicem perspicue commonstratum est, licet rarissimis forte exemplis sibi mutuo copulatas hodie illas scientias humanas divinamque conspexeris.

Quibus non rite observatis, in duos maxime noxios errores incidere necessum fuit hominibus, quorum pars altera semper ad extremum prolapsa fuit. *Primo* enim fuerit nonnulli

nulli, qui tantopere scientias humanas & rationis cultum amplexi sunt, ut non modo religionis & sanctæ vitæ studium negligenter, verum etiam eo temeritatis proveherentur, ut quæ de rebus divinis & supernaturalibus, de testimonio Spiritus S. de divina gratia & Religione proponerentur ab Ecclesiæ ministris aut piis hominibus, pro fabulis, aut ad minimum pro maxime incertis persuasionibus haberent. Hinc ultimo loco enatus est Naturalismus, quo nihil creditur, nisi quod ratio per se investigare potest. Atque hi quidem in pernicioso hoc suo errore confirmati sunt, per imbecillitatem judicii & in hac re lapsum ab hominibus aliquam vitæ sanctimoniam præferentibus commissum, quod nimirum hi doctrinas aut res proponerent, quas ipsi evidentissime falsas esse sciebant, hinc in eam opinionem devenere, quod etiam cum cæteris rebus internis & cum religione supernaturali eodem modo com-

E e 3

para-

paratum forte sit. Quodsi vero *secundo* in alterum extremum non fuissent profecti aliqui ex istis, qui probitatem morum & vitæ sanctitatem recte docent, neque vita sua & voce proposuissent, rejiciendum esse rationis cultum, contemptim habendas scientias humanas, non mereri linguas, ut iis addiscendis & excolendis tempus perdat, (quæ certe falsa esse ratio dicitur) nunquam se & sanctitatis suæ professionem obrectationi & malis suspicionibus exposuissent, sed quamlibet rem suo pretio æstimandam, suoque modulo metiendam esse concessissent. Id quod à nobis factum & demonstratum est.

*Ufus
Partis
IIdæ,
Cap.
IIXvi,
IXni,
Xmi,
XIImi,
XIIImi,
XIIIIsii.*

§. X. Quibus aberrationibus tanquam scopulis evitatis, viam breviter sibi commonstratam invenient, cœlestis Testimonii cupidi, qua sine ambage & periculis ad destinatum sibi scopum, & sentiendos in præcordiis suis sanctos divini Spiritus motus deferantur. Et erudientur quidem illi

ca-

eadem opera, quomodo alios in via veritatis instituere conveniat, monitionibus cœlestibus ipsi primum obsecuti. Atque inde perspicere nobis licebit, quid *libertas Christiana* in statu Gratiæ sit, & quomodo abusum pretiosissimi hujus doni evitari oporteat, ne, prudenter commonente Apostolo Jacobo, (a) aberrantes à via veritatis & sanctimonix officio Christianæ mentes incidant in *bypocrisin*, periculosissimam & fœdam plane in statu supernaturali labem. Hæc de utilitate ex primis hujus opellæ lineis percipienda breviter.

Commonefactio generalis.

§. XI. De cœtero commonuisse adhuc liceat eos, qui forte *hasce meditationes* lectione sua dignabuntur, ut illas, remotis paulisper præjudicatis opinionibus, in primis vero seposito favore & odio in auctorem, introspicere haud graventur, quemadmodum nuda veritas spectari se semper & ample-

E e 4

cti

(a) Cap. V, 12. Epist.

cti ipsam, citra ascititia præsidia, efflagitat. Tanta enim veritatis fiducia nitimur, aut niti nos saltem existimamus, ut, adjuncta illi demonstrandi luce, cujus perstudiosi semper fuimus, ipsa per se animis, citra præjudicium hæc nostra legentium, se facile sint approbatura. Quod non eo pertinet, tanquam nos extra communem aberrandi sortem constitutos putaremus, sed quod veritatis doctrinam, semota auctoritate, quantum potuimus, animo & ingenio diligenter simus consecrati. An id, quod volebamus, semper assecuta sit industria nostra, nostrum non est pronunciare, & illud quidem non citra arrogantia suspicionem. De quo tamen rerum sacrarum periti statuent.

Commonefactio specialis.

*Monitum
circa me-
thodum
conscri-
bendi.*

§. XII. Profitemur autem libenter, tametsi candor in veritatem & in nullas partes studium nobis semper adfuerit, non ea tamen meditatione & studio defungi nos perpetuo potuisse,

se, quam adhibendam esse diligentissime scribenti novimus, quoniam interpellare interdum minutis quibusdam aliis, imo per non modicum temporis spatium neglectas & veluti sparsas meditationes has jacere passi sumus. Nec consilium illud *Horatianum* quidem de premendis in nonum annum scriptis, antequam edantur, sequi licuit, qui ne tot quidem menses, nec hos quidem integros, sed per alia interstinctos, condendis hisce foliis tribui consultum duximus, utpote quod multo adhuc præclariora scribi possint, quibus demum, ut plurimum temporis & intervalla ampliora concedantur, justum est.

§. XIII. De stylo proinde & dicti-^{Monitum} onis genere minus adhuc solliciti fui-^{circa sty-} mus, & ut perinde in omnibus puritas^{lum.} & ornatus verborum materiæ dignitati responderet, minime curavimus, functos officio nos arbitrati, si, quantum fieri à nobis hac in parte potuit, perspicuo sermone ad rectam intelli-

gentiam ea tradi possent, quæ mente concepta erant: satius existimantes, magis ad veritatem & rectitudinem rerum cogitationumque, quam ad nitorem aut elegantiam dictionis animum intendisse, modo verba rebus convenientia, & quæ usu introducta sunt, adhiberentur.

*Monitum
circa res
ipsas.*

§. XIV. Ad rerum vero tractationem quod attinet, si quid forte à nobis vel a sacris literis alienum, vel à fide sana diversum, vel rectæ rationi repugnans, vel honestis moribus indecorum propositum fuerit, à qua late nos immunes esse testamur, id nec dictum, nec scriptum nec cogitatum quidem hoc loco esto. Quod si tamen meditationes nostræ eruditæ & probis placuerint, à quibus commoneri, imo etiam plenius nos institui peroptamus: si improbos & in fide male sanos offenderint: si melioris doctrinæ ignaris & dignam sibi censuram exercentibus, vehementer displicuerint: si denique antiquissima hæc sim-

Simplicioribus nova aut obscura visa fuerint, illud vero nobis gratissimum ingenui laboris nostri dignissimumque præmium & ornamentum est futurum, & causam certe suppeditabit, ut doctrinæ & pietati veneratione, improbitati rectitudine animi & patientiâ, censuris & inscitiam miti animo, simplicitati vero uberioribus officiis pro merito cujusque suo respondeamus:

§. XV. Inprimis si qui fuerint, quibus doctrinæ nostræ obscuriores ideo videbuntur, quod raro illas exemplis & testimoniorum copia ex Theologorum scriptis deprompta auctiores reddiderimus, illis pollicemur, illud officium, minus quidem ingeniosum, sed labore plenum, alio tempore nos distincte & per partes exoluturos, quo in præsentî supersedere de industria volumus. Fundamenta enim nunc, quantum fieri potuit, brevissima tradere tantum studuimus. Hinc illa omitti debuerunt, quæ ipsas demonstrationes necessario non ingre-

Promittuntur testimonia Theologorum orthodoxorum in gratiam simpliciorum.

grediuntur, sed tantum ad ornatum, copiam, imo etiam interdū ad ostentationem tantū faciunt. Quæ tamen, si qua aliquibus ita videbitur, facili opera magnoq; numero succedere possunt.

Votum.

§. XVI. Immortale vero & æternum Numen per cœlestis Gratia suæ munus, per æternam in genus humanum benevolentiam, per denique meritum Redemptoris obtestari & exorare homini Christiano, junctis cum nostris precibus, par est, ut doctrinam cœlestem atque minime fucatam pietatem provehere, improbitatem ad saniora reducere, inscientiam propellere, simplicitatem noxiam verioribus doctrinis confirmare dignetur, ut perpurgato errore, audito sermone veritatis Evangelii salutis, confirmata pietate recta universi omnes, posteaquam crediderunt, Spiritu illo promissionis obsequantur. *Eph. I, 13.*

IV, 30.

S. S. Trinitati Laus & Honor.



RELIGIO.
HOMINIS. ET. BONI.
CIVIS.
NATURALIS.
EVIDENTER. DEMONSTRATA.

ILLUSTRI. ATQUE. EXCELLEN-
TISSIMO.

DOMINO.

FRANCISCO.

CONRADO.

ROMANO.

SERENISSIMI. ET. PO-

TENTISSIMI. POLONIA-

RUM. REGIS. ATQUE. SAXO-

NIÆ. ELECTO-

RIS.

CONSILIARIO. INTIMO.

&c. &c.

CUJUS. LUCULENTIS. ANI-

MI. CORPORISQUE. MUNERI-

BUS. FORTUNÆ. SPLENDO-

REM. DIVINUS. FAVOR.

CONJUNXIT.

OLIM. ET. NUNC. DEDICATA.

CAPUT I.

Quo deducitur ex perspicuis fundamentis vera sententia.

SUMMARI A.

Sine corporis *sanitate* & animi *tranquillitate* nemo felix est. §. 1.

Corporis sanitatem promovet *Medicina, Oeconomia, Politica*. §. 1.

Tranquillitatem animi procurat *sola Religio*. §. 3

Religionis necessitas & utilitas. §. 4.

Religionis naturalis & revelatae descriptio. §. 5.

Dissertationis hujus institutum & Methodus. §. 6.

Dissertationis totius fundamenta Methodo Mathematica proposita. Definitur quid sit *Religio naturalis*, *Homo, Bonus Cibus, Tranquillitas animi*, & *Status natura*, cum *Scholio*, quomodo leges esse salutare, cognoscatur. *Axioma*, quod stultus negligat utilitatem certam, cum *Scholio*, quod duplex sit utile. §. 7

Differentia demonstrationum ex *Theologia Naturali*, & *Jure naturali*. §. 8.

Exhibentur Propositiones. §. 9.

I. Quod nobilius præferendum sit ignobiliori. Cum *Scholio*.

II. Quod corporeis rebus præferenda sint res spirituales.

Corollarium 1. Divitiis & sanitati præferenda est tranquillitas animi.

Coroll. 2. Eruditus præferendus est diviti & robusto.

Coroll. 3. honores præstant divitiis.

III. Quod detur tranquillitas animi.

IV. Quod tranquillitas animi præferri debeat sanitati & divitiis.

- Coroll.* Quod mors non sit Terribilium Terribilissimum. *Cum Scholio.*
- V. Quod detur Religio.
- Coroll.* Errat Spinoza, negans Religionem naturalem.
- VI. Quod Religio sit scientia divinissima.
- VII. Quod infelix sit homo sine Religione.
- VIII. Quod Atheismus sit stultitia ingeniosa.
- IX. Quod Superstitio sit stultitia absurda.
- Coroll.* Quod Superstitio stultior sit Atheismo. *Cum Scholio.*
- X. Quod Atheus & Superstitiosus vere peccent.
- Coroll.* Atheus & Superstitiosus non solum sunt imprudentes, sed etiam iniusti, contra *Hobbesium.*
- XI. Quod dictamina rectæ rationis de Religione sint observanda.
- Coroll.* Religionis præcepta sunt sancte habenda.
- XII. Quod Deus existat.
- XIII. Quod Deus sit perfectissimus.
- Coroll.* 1. Deus est independens.
2. Deus est unicus.
- XIV. Religio vera est unica.
- XV. Deus est potens.
- Coroll.* 1. Deus est timendus.
2. Ipsi est obediendum, contra *Spinosam.*
3. Virtutes ab ipso præscriptæ sunt exercendæ.
- XVI. Deus est bonus.
- Coroll.* 1. Deus est amandus.
2. Deus est honorandus.
3. Ipsi est confidendum.
4. In ipso acquiescendum.
- XVII. Deus condidit omnia.
- Coroll.* 1. Mundus non est æternus.
2. Atheus Deo est subjectus, contra *Hobbesium.*
- XVIII. Dei providentia gubernat omnia.
- Coroll.* 1. Fatum nullum datur.
2. Errat *Spinoza*, fatum statuens.
- XIX. Deus potest percipi.
- Co-*

Coroll. Datur Sensus Dei in nobis, contra *Hobbesium*.

XX. Quod Religio N. exigit cultum internum.

Coroll. Nemo ad Religionem est cogendus.

XXI. Quod Religioni N. cultus externus non repugnet. Cum *Scholio*.

XXII. Quod Religio nunquam absurda aut perniciosa doceat.

Coroll. Absurda Religionis prættextu non sunt amplectenda. Cum *Scholio*.

XXIII. Religio N. hæc vita finitur.

Coroll. Nemo Religione N. salvari potest. Contra *Puccium &c.*

XXIV. Religio N. manu ducit ad revelatam.

Coroll. Per rationem ad gratiam possumus provehi. Cum *Scholio*.

XXV. Religio N. firmat leges civiles.

Coroll. Factorum fides dependet ex Religione N.

XXVI. Religio N. conservat Societates civiles.

XXVII. Atheismus dissolvit Societates.

XXIX. Bonus Civis Deo interno cultu placere studet.

Coroll. Interna Religionis inprimis sunt cognoscenda.

XXIX. Bonus Civis servat propter Religionem N. fidem, æquitatem & justitiam.

XXX. Bonus Civis ob Religionem N. est obediens Magistratui.

XXXI. B. C. ab Religionem nunquam turbat Rempublicam.

XXXII. B. C. ob Religionem sorte sua contentus vivit & fortunam æquabiliter fert.

XXXIII. Inter Criteria rectæ Religionis est moderamen affectuum, terrestrium justa æstimatio, æquitatis & justitiæ studium.

Coroll. Sine hisce notis nulla est Religio in bono cive.

XXXIV. Religio N. est utilis, sed infirma & imperfecta. Cum *Scholio* de rationis robore & imperfectione.

XXXV. Religio N. affectibus

bus obfistere quidem, sed ipsos subigere non potest.

Coroll. Bonus civis non acquiescit in Religione N.

Scholium. Quod Reli-

gio Revelata eadem methodo demonstrari possit.

Usus harum demonstrationum. §. 10.

§. I.



Uo sunt in vita, quæ hominem in prius beatum felicemque efficiunt, *corporis Sanitas & animi Tranquillitas*. Unum horum, si vitam hanc mortalem toleranti adimas, miserum eum infelicemque efficies. Ex quo factum est, ut mortaliū studia ad utrumque consequendum passim circumspicerent, inventis varii generis artibus & scientiis, unde expedita præsidia quærentur, ut corporis incolumitas perstaret, & animo, quo nihil homini divinius contigit, tranquilla serenitas redderetur.

§. II. Et corpori quidem custodiendo variaz dant operam scientiaz. *Medicina* sanitatem collapsam, vel restituere, vel firmam conservare enititur. *Oeconomia* disciplina opibus & externis subsidiis, quibus corpus indiget, vitam auctiorem reddit. *Politica* artes eandem ab aliorum injuriis securam præstant, atque ut corpori decus, & vitæ splendor opibus concilietur, per arcana sua elaborant.

§. III.

§ III. Post hæc tamen illa omnium nobilissima vitæ disciplina requirebatur, quæ animi curam habet, & suo munere efficit, ut pacata menti serenitas, inter tot obstrepentes rerum vicissitudines, elucescat. Quod quoniam neque Medicinæ beneficio, nec Oeconomicarum rerum cura, nec denique universis politicarum artium arcanis poterat impetrari, restabat, ut, quemadmodum corpori inventa ex pharmacis Medicina est, ita animo ex doctrina remedium afferretur, cujus ope serenam, hilarem & tranquillam vitam mortales ducerent. Modus ad hanc felicitatem perveniendi, ut nimirum quisquis sciat rationem, si non semper gaudendi, tranquillum tamen ducendi spiritum, appellatus est RELIGIO.

§. IV. Religionis itaque officium est, ostendere homini viam, qua ad securam conscientiæ tranquillitatem, & ineundam cum Deo amicitiam, ex ejus vera cognitione & amore ortam pervenitur. Hoc divino beneficio mortalium carere nemo potest, nisi præcipuæ felicitatis suæ salutisque plane prodigus. Cætera enim bona, quibus hominum vita affluit, ad corpus tantum referuntur, animi salutem non attingunt. Unius autem soliusque Religionis munus est, docere, quomodo conciliari animus Deo possit, ut ejus salutaribus præceptis confirmatus, de cœlesti gratia bene sperare, & vitam hanc incertam & mortalem, sine

pavoribus & metu tranquille transigere noscat.

§. V. Distinguitur *Religio*, sive scientia illa, quæ cultum Numinis tradit & tranquillitatem conscientiarum promovet, in *Naturalem* & *Revelatam*. *Naturalis*, quæ ex lumine nature omnibus hominibus concessa proficiscitur, ea de Deo captu suo assequitur, quæ per rationem sibi relictam cognoscuntur, & vitæ hujus spatium terminantur. *Religio revelata*, quæ alio nomine supernaturalis appellatur, peculiari inspiratione nititur, ea de Deo rebusque divinis tradit, quæ intellectu naturali investigari non possunt, atque inprimis docet, quomodo in hac vita Deo per Servatorem conciliari, & post fata, eternam felicemque cum Deo societatem habere possimus. Universæ hujus Religionis summam complexus est Spiritus S. Scripturæ S. oraculis. Utriusque autem Religionis, cum Naturalis, tum Revelatæ, finis est, ut pro modo quæque suo beatitudinem & conscientiæ pacem hominibus procurer. *Naturalis* beatitudinem temporalem, *Revelata* æternam.

§. VI. Placet in præsentibus, relictis Theologiæ revelatæ mysteriis, eorum tractationi inhaerere, quæ sanæ rationis ope de summo Numine à quocunque hominum cognoscuntur, atque ad *naturalem Dei cultum Religionemque* pertinent. Quod ut perspicue ab omnibus rationi rectæ obedientibus

bus intelligi possit, requiritur omnino, ut ex im-
 motis planisque fundamentis veram sententiam
 deducamus. Ita enim fiet, ut ea, quæ trademus,
 facilem assensum inveniant, & quæ obscuriora
 alias videri poterant, meliori luce illustrentur.
 Multum autem ad perspicuitatem doctrinæ no-
 stræ conciliandam faciet, si *methodum mathematicam*,
 quæ principiis demonstrandi planissimis
 utitur, & iusto ordine omnia connectit, adhibea-
 mus, quam tamen ita moderabimur, ut nec iis, qui
 liberiori scribendi generi assueti sunt, molesta esse
 possit.

§. VII. De Religione naturali hominis & boni
 civis suscepta est tractatio. Quare, incertitudi-
 nis evitandæ causa, statim initio perspicuis defini-
 tionibus explicandum est, quid sit *Religio natura-
 lis*, quid *Homo* in morali significatione, quid *bo-
 nus civis*, quid *tranquillitas animi*, & quid *status
 natura* denotet, ut exinde officium naturale ad-
 versus Deum prona consequentia intelligi queat.
 Statuendum est præterea indubitatum demonstra-
 tionis principium, quod geometrico more *Axi-
 oma* vocatur, & ejusmodi naturæ sit, ut à nemine,
 rationis judicium adhibente, in dubium vocari
 possit. Quibus methodi legibus satisfacturi, iis,
 quæ à nobis demonstrabuntur, præmittimus

DEFINITIONES.

I. *Religio naturalis est scientia, quæ docet,*

cet, quid Deus circa sui cognitionem & cultum ab hominibus in statu naturæ exigat, ut eidem sint grati, adeoque conscientiam naturaliter tranquillam habeant.

II. Homo (in statu naturæ moraliter spectatus) est creatura, omni conatu corpus incolume & decorum, animam vero tranquillam & hilarem conservare studens.

III. Bonus civis est persona, que salutaribus imperantis mandatis sponte obtemperat, & per hoc salutem communem promovet.

IV. Per tranquillitatem animi intelligo illud vita tempus, quo homo de status sui & actionum suarum rectitudine per liquidas rationes certus est, adeoque mentem & conscientiam letam & hilarem experitur.

V. Per statum naturæ intelligo illam hominis conditionem, qua quis corporis & animi facultates, quantum per vires naturales fieri potest, debite excolit & conservare studet.

SCHOLIUM.

Obscurum fortassis alicui videbitur, quid per *salutaria* mandata in definitione III. intelligi debeat. Persæpe enim una res aut lex huic salu-

salutaris, alteri pernicioſa exiſtit. Obscurum non minus videbitur, unde cognoſci poſſit, imperantem leges ſalutares aut pernicioſas tuliſſe. Notandum proinde, hominem corpore & anima præditum eſſe. (*per def. 2. bujus §.*) *Corpori* ſalutare eſt, ut *ſanum* ſit, ut ab injuriis & externis *leſionibus* muniatur, ut denique *opibus* affluat. Hæc ope Medicinæ, Politicæ & Oeconomix obtineri diximus §. 2. *Anima* ſalutare eſt, ut *tranquillitatem* conſequatur, & *intelligentiam* rerum neceſſariorum habeat. Prius vera *Religione* obtineri indicavimus §. 3. ſupra, & in ſequentibus latius demonſtrabitur; poſterius ex variis *diſciplinis & ſcientiis*, quibus ad veri cognitionem erudimur, addiſcitur. Ergo ſi imperans leges fert, quæ omnia hæc promovent, perſuaſiſſimum nobis eſſe debet, quod etiam per ſe clarum eſt, leges latas eſſe ſalutares. Quod ſi leges condantur, quæ ſuperiora non attingunt, interim tamen directe iſta nec prohibent, nec impediunt, probabile tum quoque eſt, leges has eſſe ad ſalutem hominum latas, quoniam nulla ratio ſuppetit, cur imperans poſt ſe potius civium noxam, quam commodum quærere velit. Habebit enim hoc in caſu Magiſtratus rationes legis ab ſe latæ, utut duræ, quas in publicum emanare è re eſſe non putat. Contra ſi Princeps leges ferat, quæ directe *corpori* ſanitatem, membrorum integritatem aut opes neceſſarias,

Ani-

Anima autem tranquillitatem aut intelligentiam adimunt, evidens est, eas inter salutare referri non posse.

AXIOMA unicum.

Stultus is est & mortalium insipientissimus, qui certam utilitatem negligit. Inprimis si magni momenti sit commodum, quod facile quispiam obtinere, & quo carere omnino non potest.

SCHOLIUM.

Utilitas quadruplex potissimum in hominis vita deprehenditur. Aut enim *utile* quid est ad *Tranquillitatem* animæ promovendam, huc pertinet *vera pietas*; aut *utile* quid est ad *rationis Lumen* excolendum, eo pertinent *scientiæ & prudentia* in vita humana; aut *utile* quid est ad *sanitatem corporis* servandam, eo pertinet *cognitio sui corporis*; aut denique *utile* aliquid dicitur ad *opes acquirendas*, eo pertinet *cognitio rerum externarum*. Axioma nostrum universale accipiendum est, quoad omnes utilitatum adductarum species. Istud tantum observetur, tanto quemque stultiorem esse, quo majorem quis negligit utilitatem. Ideoque iste insipientior est, qui maximam præstantissimamque utilitatem negligit, ut minutioris pretii commodum obtineat, quales ii sunt, qui conscientiam & animæ *Tranquillitatem* negligunt, dummodo honores aut opes, quacunque tandem id ratione fiat, consequantur.

S. VIII.

§. VIII. Pauca hæc, sed, ut puto, luce sua cuiusvis satis certa, principiorum loco posuisse sufficiat, ex quibus mox officium hominis naturalis adversus Deum, sive Religionis naturalis summam eliciemus. Ne autem *Juris Naturalis* munia cum *Theologia Naturalis* demonstrationibus confundamus, utemur in sequenti tractatione probationibus, non theoreticis, quæ ex longinqua deductione causatum Metaphysicarum & Physicarum depromuntur, (hæc enim ad Theologiam Naturalem & veram Metaphysicam pertinent) sed demonstrandi rationes practicas proponemus, utpote quæ haud difficulter ab omnibus intelliguntur, & quas *Juris Naturalis* disciplina sibi recte vindicat.

§. IX. A primis autem & valde simplicibus Propositionibus, quæ proinde minori cum difficultate percipi atque admitti poterunt, demonstrationum nostrarum initium faciemus. Sit ergo

PROPOSITIO I.

Quicquid ignobilius est, illud postponi debet illi, quod nobilissimum est.

DEMONSTRATIO.

Patet ex Axiomate §.7. Insipiens est, qui magni momenti commodum negligit. Atqui ex re nobilissima majus commodum percipimus, quam ex re ignobiliore. Ergo res ignobilior postponi debet rei nobilissimæ. Id quod erat demonstrandum.

SCHO-

SCHOLIUM.

Intelligi debet res nobilissima, quæ vere, non opinione, talis est, & apud rerum intelligentes. Deinde requiritur ad rei æstimationem, ut libero iudicio uti, atque ut institutum nostrum secundum rectæ rationis dictamen, sine impedimento, exequi possimus. Alias necessitate naturæ pressi, cogimur interdum ad sedandam famem, frustum panis, aut quod in fabulis Gallus Gallinaceus fecerat, granum hordeaceum præferre margaritis & auro. Evidenter autem apparebit, rem ignobiliorem rei nobilissimæ semper esse postponendam, si hominem *in pari necessitate constitutum* nobis ob oculos ponamus, qui eodem tempore re ignobiliori v. g. calceis, & re nobiliori v. g. erudita oratione in concione doctorum habenda, indigeat. Par in cæteris omnibus est ratio.

PROPOSITIO II.

Quicquid ad corpus pertinet, illud postponi debet ei, quod ad animum attinet.

DEMONSTRATIO.

Res ignobilior postponi debet rei nobilissimæ, (*per Prop. 1.*) Atqui Anima est res nobilior, quam corpus. Quoniam anima corpore, tanquam instrumento tantum, utitur, id quod ex corpore, anima destitutum patet. Ipsa autem anima per se omnia dirigit, invenit atque agit. Ergo corpus & res ad

ad corpus pertinentes postponi debent animæ, & rebus ad animam pertinentibus. Q. E. D.

COROLLARIUM I.

Hinc sequitur, quod divitiæ & robur corporis postponi debeant tranquillitati animi, scientiis ingenuis & eruditioni, quæ animum instruit & perficit. Quia prius ad corpus, posterius vero ad animum pertinet.

COROLLARIUM II.

Patet exinde, quod vir solide eruditus jure præferendus sit robusto & diviti, hoc est, Militi & Mercatori. Quia eruditus circa animæ, robustus autem & dives circa corporis incolumitatem tantum versatur.

COROLLARIUM III.

Patet etiam, honores præstare divitiis. Quia sunt ornamentum animi, divitiæ autem corporis tantum.

PROPOSITIO III.

Datur animi Tranquillitas.

DEMONSTRATIO.

Cujus rei homines, ratione recta utentes, sunt studiosissimi, & quæ ad ipsorum felicitatem, tanquam pars essentialis pertinet, illa utique datur. Stultum enim est studiose rem consecrari, quæ nunquam extitit, nec ullibi locorum invenitur. Jam vero homines studiosissime quærunt animi tranquillitatem, tanquam rem ad ipsorum felici-

(B)

ta-

tatem præcipuam pertinentem, (per Defin. 2. §. 7.)
Ergo datur animi Tranquillitas. Q. E. D.

PROPOSITIO IV.

Tranquillitas animi præferenda est corporis sanitati & divitiis.

DEMONSTRATIO.

Qua re omnium difficillimè vel admodum difficulter carere possumus, illa præferenda est alteri, qua facilius quis carere potest. Jam animi Tranquillitate omnium difficillime, vel ad minimum non tam facile quis carere potest, quam sanitate corporis aut divitiis, (per Coroll. I. Prop. 2.) quia Tranquillitas ad animum, tanquam nobilior, sanitas & divitiæ ad corpus, tanquam ignobilior, pertinent, (per Prop. 2.) E. Tranquillitas animi præferenda est corporis sanitati & divitiis. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Hinc sequitur, mortem non esse φοβότερον φοβότερον, tinnitui terribilium terribilissimum. Quia mors corpus tantum ab anima separat & destruit, morsus autem conscientia, b. e. privatio Tranquillitatis animi, lacerat mentem ipsam.

SCHOLIUM.

Hæc causa est, cur animadvertere liceat, quod ex motibus conscientia, i. e. privatione Tranquillitatis animi, sequi simul necesse sit maciem & morbos corporis. Quia affecta parte principali, scilicet anima, instrumentalem quoque partem,

tem, nimirum corpus affici necesse est. Hæc etiam est ratio, cur animæ aegritudine laborantes, aut passionibus animi agitati, nec cibum nec somnum capere possint, sed suis cruciatibus sine carnis contabescant & emoriantur. Exemplo est pervulgato *Franciscus de Spira*, qui tormentis conscientiæ propter Religionis veræ abjurationem excruciat, fame & voluntaria cibi abstinencia periit. (a) *Claudius Nero*, flagitiorum suorum conscientia agitatus, mortem ipse expetiit, ut se ab inquietudine mentis, quanquam frustra, liberaret. (b) Cui non multum ab similibus *Tiberius*, (c) & *Heliogabalus*. Recentius *Atheista* cujusdam Anglicani exemplum non ignotum est ex *Atheista* desperante, ante annos non multos apud nos libello germanico descripto.

Contra cum animus esset quietus, tunc corporis tormenta superare non fuit difficile. Res in *Martyribus* priscæ Ecclesiæ, qui Tranquillitatem supernaturalem indepti erant, est manifesta. (d) Naturali autem fortitudine morte majus tormentum sustinuit *Mucius Scævola*, qui manum aduri sibi passus est, ut ne ullum quidem ederet commotionis signum. (e) Et *Cajus Marius* varices sibi

(B) 2

ca

(a) Vid. Hornbeck summa Controv. (b) Vid. Sueton. Nero Cap. 47. (c) Apud eundem in Tiber. cap. 66. 67. (d) Vid. Euseb. H. E. & Sagittar. de Martyrum Cruciatibus in prim. Eccl. cap. 6. p. 67. seq. (e) Livius Hist. L. II. cap. 12.

ea animi constantia exsecari passus est, ut nemo animadverteret signum doloris, quem expertus erat acerrimum.

PROPOSITIO V.

Datur Religio.

DEMONSTRATIO.

Datur Tranquillitas animi, (*per Prop. 3.*) Religio autem docet animi Tranquillitatem, (*per Defin. 1. §. 7.*) & quidem sola Religio hoc docet (*per §. 2. & 3. supra.*) E. datur Religio. Q. E. D. Ali- ter sic demonstrari potest.

Quicquid docet Tranquillitatem animi, & quid Deus à nobis exigit, ut ipsi grati simus, illud existit. Existentis enim est docere, & quicquid non existit, illud nec docere potest, quoniam non entis nullæ sunt affectiones. Jam vero Religio docet animi Tranquillitatem, (*per Definit. 1.*) Datur enim animi Tranquillitas, (*per Prop. 3.*) quam docet Religio, ostendendo illud, quod Deus à nobis exigit, ut in statu naturæ ipsi grati simus, (*per Defin. 1. §. 7. & §. 3. & 4. supra*) qua homo, tanquam parte sibi ad felicitatem essentiali, carere non potest (*per Defin. 2.*) E. datur Religio. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Errat B. Spinoza, qui docet, nullum in statu naturali locum esse Religioni. (a) Sed de hoc uberius agatur Cap. II.

PRO-

(a) Tract. Theol. Pol. pag. m. 184. 175. seq. & Opp. Posth. p. 273.

PROPOSITIO VI.

*Religio est scientia omnium nobilissima,
& donum cœleste omnium divinissi-
mum.*

DEMONSTRATIO.

Tranquillitas animi præferenda est omnibus rebus, quæ ad corpus pertinent. (*per Prop. 4.*) Religio autem est scientia, quæ docet, quomodo consequenda sit animi Tranquillitas, (*per Defin. 1. §. 7.*) quæ ex nulla alia scientia addisci potest. (*per §. 3. hujus Dissert.*) E. Religio est scientia omnium nobilissima. Quod erat primum.

Et quoniam Religio circa Deum occupatur, atque ostendit, quomodo gratiam Dei consequamur, (*per Defin. 1. §. 7.*) quod nulla alia disciplina facit, (*per §. 4. hujus Dissert.*) sequitur, quod Religio sit donum cœleste omnium divinissimum.

Q. E. D.

COROLLARIUM.

Itaque Religionis vera studium cuique debet esse præcipuum, & à prima infantia quari. Est enim scientia omnium nobilissima, & donum cœleste divinissimum. (per Prop. 6.)

PROPOSITIO VII.

Nulla Religione vera imbutus omnium miserissimus & infelicissimus est.

DEMONSTRATIO.

Religio docet, quomodo Dei gratiam impetra-

re, ipsi accepti esse, & conscientiam tranquillam habere possimus, (*per Defin. 1.*) quod homo tanquam sibi essentiale ad beatitudinem maxime omnium in vita expetit. (*per Defin. 2.*) Jam vero qui nulla Religione est imbutus, destituitur gratia Dei & tranquillitate conscientiae. Quia sola Religio nobilissimam hanc scientiam docet: (*per Prop. 6.*) E. nulla Religione imbutus est miserrimus, quia destituitur scientia nobilissima & dono divinissimo. Est etiam infelicissimus, quia solida Tranquillitate conscientiae nulla gaudere potest. Q.E.D.

COROLLARIUM.

Ergo qui omnem verae Religionis cultum aspernatur, stultissimus est. Quia sua sponte se miserum & infelicem reddit. (*per Prop. 7.*)

PROPOSITIO. VIII.

Atheismus est stultitia ingeniosa.

DEMONSTRATIO.

Stultitia est, praesentem utilitatem, & qua carere non possumus, negligere. (*Per Axioma §. 7.*) Qui Religionem, gratiam Dei & omnem verum cultum divinum aspernatur, quod Atheismus facit, utilitatem certissimam, & qua carere nemo potest, (*per Defin. 2.*) negligit. Quia Religio docet tranquillitatem animi & impetrandam Gratiam Dei, (*per Defin. 1.*) quae est scientia nobilissima. (*per Prop. 6.*) Adeoque Atheus sua sponte se miserum & infelicem reddit. (*per Coroll. Prop. 7.*) E. Atheismus est stultitia. Quod erat primum demonstrandum. Quia

Quia vero Athei volunt videri sapientes, qui multarum rerum pollent scientia, ingenio felicissime utentes; Stultitia autem est maximi momenti commodum postponere rei parvæ utilitatis & vtilissimi pretii. (*per Axioma §. 7.*) Quod is facit, qui scientias, quæ ad corpus pertinent, aut alias speculationes præfert scientiæ, quæ Animum tranquillat & perficit, cum tamen priores posteriori præponere debuisset. (*per Prop. 1. & 2.*) E. Atheismus non est simplex, sed ingeniosa stultitia. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Ergo ingeniosa scientiæ non reddunt quenquam felicem, si majoris momenti commodum, quod nobis salutare & necessarium est, negligitur. Quia Atheismus, non obstante ingenui stultitiam esse patet. (*per Prop. 8.*)

PROPOSITIO IX.

Superstitia est stultitia absurda.

DEMONSTRATIO.

Stultus est, qui magni momenti utilitatem & qua carere non potest, negligit, (*per Axioma §. 7.*) qui suæ Religionis cultum in rebus sensualibus & visibilibus, quæ Deus ab hominibus ad sui cognitionem non exigit, ponit, id quod superstitiosus facit, is Deo nec gratus esse, nec conscientiam tranquillam habere potest. Quia (*per Def. 1.*) Religio ex voluntate Dei ea tradit, quorum ope

ipsi grati & tranquilli esse possumus. Adeoque maximum commodum suum negligit, & scientia nobilissima (*per Prop. 6.*) destituitur, quam superstitiosa sua Deum colendi ratione, per imaginationem & passiones suas, se adeptum esse sibi falso persuadet, cum interim Religione, quæ quidem vera est, nulla imbutus sit. Et quia post omne præposterum studium, verissimam utilitatem suam, quæ sensum Gratiaë cœlestis & conscientiaë Tranquillitatem comprehendit, elabi sibi patitur, & inanissima diligenter agendo præstantissimorum animi commodum negligit, stultus omnino est superstitiosus. Quod erat primum demonstrandum.

Porro Stultitia est, maximum negligere commodum suum. (*per Axioma §. 7.*) Sed imaginari sibi, se commodum aliquod consecutum esse, cum tamen nihil minus tale quid sit, contradictorium, i. e. absurdum est. Jam superstitiosus, nullo vero Religionis cultu imbutus, & ideo stultus est. (*per Demonstrat. præced.*) Quia vero superstitio, imaginatione sensibilibus rerum fatua, sibi simul firmissime persuadet, se veram Dei colendi & Tranquillitatem consequendi rationem tenere, cum tamen rationi maxime repugnet, talia ad obtinendam Gratiam cœlestem à se exigere, quæ imaginando sibi fingit, adeoque non obstante sua phantasia, scientia nobilissima destituatur, quæ Religio vera tradit, (*Per prop. 6.*) atque sic imaginando sibi felicitatem

tatem coelestem, re ipsa tamen felicitate destituitur, adeoque miserrima & infelicissima & per illud ipsum stultissima sit. (per Coroll. Prop. 7.) E. sequitur superstitionem esse stultitiam absurdam.

Q. E. D.

SCHOLIUM.

Notandum hoc loco est, nos in Propositione IIX. & IX. non dedisse definitiones Atheismi aut Superstitionis. Sed tantum unum prædicatum aut attributum essentielle Atheismi & Superstitionis demonstrasse. Plenas enim Atheismi & Superstitionis definitiones alias dedimus. (*) Recte ergo à nobis demonstratum esse putamus, Superstitionem esse stultitiam absurdam, & Atheismum esse stultitiam ingeniosam, id est, hæc attributa Atheismo & Superstitioni convenire. Quoniam vero definitiones dare nobis animus non fuit, inde non licet ex converso concludere, quicquid est stultitia ingeniosa, illud est Atheismus. Quemadmodum male colligitur, omnis angelus est Spiritus. Ergo omnis Spiritus est Angelus. Omnis Princeps est homo. E. omnis homo est Princeps. Omne quadratum habet quatuor lineas. E. omnis superficies habens quatuor lineas est quadratum. Datur enim Rhombus & Rhomboides, quæ quatuor habent lineas, neque tamen quadratum sunt. Licet tamen ex rei alicujus attributo demonstrato

(B) 5

con-

(*) Scilicet in Demonstr. de Certitud. S. R. & F. P. II. cap. I.

concludere aliud, uti ex eo, quod quadratum habeat quatuor lineas, recte concluditur, illud differre à triangulo, quod tres tantum habet lineas, &c. Ita nos ex attributo Superstitionis & Atheismi deduximus corollarium, quod Superstitio hoc respectu sit stultior Atheismo.

COROLLARIUM.

Superstitio stultior est Atheismo.

DEMONSTRATIO.

Atheismus est Stultitia ingeniosa, (per Prop. 8.) Superstitio est stultitia absurda, (per Prop. 9. hujus.) Quoniam vero ingeniosum esse præstat absurditati, sequitur, quod Superstitio, quæ est quædam absurditas, Atheismo, cui innixa est ingeniositas, stultior sit. Q. E. D.

Elegans est hanc in rem locus *Baconis Verulamii sermon. fidel. §. 17. Opp. pag. 166.* *Atheus* in se solo spectatus, si comparatio est instituenda, non multum ab similibus est simio, aliquid ex humanitate, aliquid cum bestiis communetrahens. *Superstitiosus* autem, uti qui *Molecho* recens natos immolarunt, (a) & qui magno *Dianæ* templo vivat acclamarunt, (b) similesque, plane cum porcorum grege convenit, qui ne ad sagacitatem quidem animantium excitatoris indolis assurgit. Intellego autem *Atheum* in se solo spectatum, hoc est, qui ingeniosa ratione sua, licet depravata, utitur.

Qua-

(a) II. Reg. XXIII, 10. (b) Act. XIX, 23. seq.

Quatenus enim Atheus imaginationibus & passionibus fit obnoxius, insimul, & veluti per intervalla, aliquid ex superstitionis dementia participat, atque ex hoc cinno mixtura oritur, quam merito appellaveris ingeniosissimam absurditatem. Quæ quoniam ratiociniosis quibusdam mti vult, ægerrime in viam rectam se reduci patitur. Nihil enim difficilius est, quam hominem cum rationis specie aberrantem, veritati restituere. Licet enim ingeniosi istiusmodi hominis errores plus pravi, quam sani ostendunt, placent tamen fere semper, quia semel adoptati non displicuere. Inter Atheum tamen & superstitionis, tanquam inter excessum & defectum medius veluti constituitur *homo sapiens*, qui rectam sibi quæ à Deo datam rationem sequitur, qua prælucente veram colendi Deum rationem cognoscit & observat. Haud infrequenter tamen accidit, ut homo sapiens Atheismi crimine infametur, imprimis à superstitionis, à quibus homo sapiens, & ratione recte utens longius distat, quam ab Atheo, quoniam Atheus ratione naturali, licet perversa, gaudet, cum superstitionis contra plane à ratione remoti sint. Mirari autem subit *Augustinum*, qui (a) Ciceronem inter Atheos disponit, qui Atheorum objectiones proposuerat, cum tamen (b) expresse confirmet, *nihil esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, quam esse*

Nu-

(a) Civit. D. Lib. V. c. 9. (b) Lib. de Divinis, & de N. D.

Numen præstantissima mentis, quo hæc reguntur.
 In Augustino tamen error hic tolerabilior est,
 quam in Zachæo Fabio, qui citante Massonio, (a)
 in libro, cui titulum fecit *Reher-Buch* / Cicero-
 nem inter hæreticos locavit.

PROPOSITIO X.

*Atheus & Superstitiosus vere & proprie
 peccant in legem naturalem.*

DEMONSTRATIO.

Qui sui conservationem atque salutem asper-
 natur, in primis quoad partem nobiliorē, quæ
 est Anima, is stultus est; (per Axiom. §. 7.) Verè
 autem & proprie peccat in legem naturalem, qui
 non observat ea, quæ hominis natura à superiore
 sibi data exigit, cujus præcipua pars est Animi pla-
 cida hilarisque Tranquillitas. (per. Def. 2.) Pec-
 cate enim est contra leges à superiore, quicumque
 is tandem sit, constitutus agere. Jam *Atheus* per
 ingeniosam aliquam stultitiam (per Prop. 8.)
 aspernatur leges à superiore, qui ipsum jure crea-
 tionis & potentia cogere potest, præstitutas. Quia
 non observat præscriptam sibi utilitatem, quæ ipsi
 ex præcepto Creatoris se potentioris, ad sui con-
 servationem per naturam est necessaria, negligendo
 Tranquillitatem & pacem animi, ex cognitio-
 ne & cultu Numinis hauriendam. Superstitio-
 sus idem etiam facit, quia sua Religio est absurda
 stul-

(a) Anatom. P. 3. Cap. 25. p. 288. 289.

stultitia, (*per Prop. 8.*) & stultior Atheismo. (*per Coroll. Prop. 9.*) E. Atheus & Superstitiosus vere & proprie peccant in legem naturalem Q. E. D.

SCHOLIUM.

Excipiet aliquis cum *Hobbefio*, Atheum non agnoscere superiorem sive Deum, E. neque eum posse peccare in legem, quæ superiorem præsupponit. Sciendum autem est, vere & proprie peccare eum in legem, qui cum cognoscere debuisset & potuisset legem, tamen præpostero studio hanc contemnit, & diligenti cura evitat, ne legem cognoscat. Quemadmodum igitur in civitate non excusatur, qui innocentem occidit, eo colore, quia ignorat, aut potius ignorare voluit, homicidium lege prohibitum in ista civitate fuisse, quoniam illud scire debuit ac potuit: Ita nec in statu naturali Atheus excusatur, quod non agnoverit superiorem Deum, quem tamen jure creationis & potentiae agnoscere poterat, & jure conservationis aut providentiæ colere debebat. Sed de hoc uberius tractatur *cap. III.*

COROLLARIUM.

Patet ergo, Atheum non modo imprudentem, sed etiam injustum esse in Deum.

DEMONSTRATIO.

Qui vere & proprie peccat contra legem, is est injustus. Hæc propositio est ipsius *Hobbefii*.

(a) Violatur enim jus alteri per legem perfectè
quæ-

(a) *Element. Phil. de Civ. C. 14. §. 18. 19. & in annor.*

quæsitum. Jam Atheus vere & proprie peccat in Legem naturalem. (*per Prop. 10. hujus*) Legem enim Creationis & legem potentiaæ divinæ, uti & legem providentiæ petulanter contemnit, quam cognoscere ingenio suo perfacile poterat, & venerari obedientia debebat. E. Atheus non modo imprudens, sed etiam injustus est in Deum. Q. E. D.

SCHOLIUM.

Errat proinde *Hobbesius*, quando (a) Atheismum ad peccata imprudentiæ, non autem injustitiæ refert. Quoniam Atheus nunquam Deo voluntatem suam subjecerit, ut quem ne esse quidem opinatus fuerit. Sed de his similibusque Placitis *Hobbesianis* ex professo videbimus *Cap. III.*

PROPOSITIO XI.

Quicquid lumen rationis de Dei cognitione & cultu, hoc est, de Religione Naturali, docet, illud summo studio observandum est.

DEMONSTRATIO.

Quicquid ad utilitatem nostram facit, non est negligendum, si quidem illud obtinere possumus. (*per axiom. §. 7.*) Sed omne illud, quod Religio de lumine naturali docet, ad utilitatem nostram facit. Quia conscientiam tranquillam producit, (*per Def. 1.*) quæ sanitati corporis & divitiis, h. e. omni-

(a) l. c. cap. 14. & 19. & in not.

omnibus aliis rebus præferenda est. (*per Prop. 4.*)
 Obtineri autem potest, quia clara & certa est scientia, quam Deus cum animis, tanquam donum divinissimum communicat. (*per Prop. 6. & Def. 1.*)
 Igitur quicquid lumen rationis de cognitione & cultu Dei, sive de Religione Naturali docet, summo studio observandum est. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Igitur Religionis Naturalis præcepta unicuique debent esse sancta & inviolabilia. Quia Religionis præcepta sunt istud, quod rationis lumen de Deo docet. (per Prop. 11.)

PROPOSITIO XII.

Religio jubet, ut statuamus, Deum existere.

DEMONSTRATIO.

Datur Religio, (*per Prop. 5.*) quæ docet, quid Deus à nobis exigit, ut eidem grati simus, & Tranquillitatem animi consequamur. (*per Def. 1.*) Jam nemo docere, nec tranquillum reddere animum potest, nisi existat. Quoniam non entis nullæ sunt affectiones. E. Religio jubet, ut statuamus, Deum existere. Q. E. D.

SCHOLIUM.

Deum existere, præcisa Religione, inter alia etiam hoc morali argumento probari aut svaderi potest. Quia homo in hac & futura, si qua est, (loquor ex hypothesi negantium Deum) vita mul-

multo est felicior, si credat Deum, quam si ipsum existere neget. Nam si Deus existit, Deum per vitam professus, moriens de gratia ipsius potest esse securus. Negantem autem Deum acerbissimæ poenæ & cruciatus ob nefariam Majestatis divinæ negationem expectabunt. Quod si autem Deus non existit, tamen vitam hanc acerbam dulci hac expectatione, licet, falsa solatus est, quam alias perferre cogebatur adversam sine omni plane solatio. Deinde hæc de Dei existentia (licet eam ponamus esse falsam) facit, ut multa comoda inde hauriamus, & mala declinemus. Nam hæc persuasio facit, ut affectibus & pravis cupidinibus nostris obsistamus, quæ nos in præsentissimum maximumque malum præcipites dant, apud homines etiam secundum morem politicum & hujus tantum mundi vitam agentes, uti est animi truculentia, fervor, iracundia, fraus, mendacium, avaritia, ambitio similesque perniciosi affectus. Igitur si persuasio de Dei existentia nos ad moderamen perniciosissimarum cupiditatum inducit, certe profecto maximopere utilis & fovenda est hæc de Dei existentia persuasio, licet falsa sit. Quia præstantissima bona inde consequimur, nimirum vitam ordinatam & civiliter honestam, omnibusque gratam ac nobis salutarem; cum è contraria sententia nihil boni, mali autem plurimum proveniat.

PRO-

PROPOSITIO XIII.

Religio jubet, ut statuamus, Deum esse perfectissimum, h. e. cui nulla res aut perfectio deest.

DEMONSTRATIO.

Qui scientiam omnium nobilissimam & divinisimam concedere potest, is est nobilissimus & divinisimus, h. e. perfectissimus. Nihil enim est in effectu, quod non prius fuerit in causa sua. Deus autem concessit nobis scientiam nobilissimam & divinisimam, quod idem est, ac perfectissimam, h. e. Religionem. (*per Prop. 6.*) Cujus præcipuus divinitatis effectus est solida & constans animi Tranquillitas, quam nemo mortalium, ne Angelorum quidem atque nulla res finita animis nostris concedere potest. Itaque Deus est perfectissimus. Q. E. D.

COROLLARIUM I.

Ergo Deus est independens, & nunquam fuit, nisi existens, h. e. aternus. Alias ipsi defuisset primaria perfectio, nimirum Existentia, quod est absurdum, (per Prop. 13.)

COROLLARIUM II.

Deus est unus exclusive, i. e. unicus.

DEMONSTRATIO.

Qui est perfectissimus, ita ut nihil perfectionum illi desit, ille est unicus. Quia, si perfectissimus omnes habet perfectiones, nulla sane perfectio,

(C)

quæ

quæ alteri concedi potest, superest. Neque esset perfectissimus, cui perfectiones, quas alter à se non dependens habet, deessent. Sed Deus est perfectissimus. (*per Prop. 13.*) E. Deus est unus exclusive i. e. unicus. Q. E. D.

SCHOLIUM.

Possent hoc loco omnes perfectiones & Attribute divina ex Prop 13. ordine & explicate demonstrari, sed nos in sequentibus pro instituti ratione, duabus, Potentia nimirum & Bonitate contenti erimus. His enim deductis, reliqua omnia facile parent, quæ ad officium adversus Deum & Religionem pertinent.

PROPOSITIO XIV.

Religio vera una tantum est exclusive, i. e. unica.

DEMONSTRATIO.

Religio quoad essentiam suam, est scientia aut ratio illa, quam Deus nobis præscribit, ut eum cognoscamus, colamus & tranquilla conscientia vivamus. (*per Def. 1. & Prop. 6.*) Deus vero est unicus, (*per Coroll. 2. Prop. 13.*) qui quoad essentiam suam unicam, non potest, nisi uno modo cognosci. Unum enim idemque objectum, v. gr. arbor, ædificium &c. uno semper eodemque modo, à recte videntibus cognoscitur. E. Religio vera quoad essentiam suam, erit unica. Potest etiam sic demonstrari.

Reli.

Religio est scientia in suo genere nobilissima & divinissima, (per Prop. 6.) & habet Auctorem Deum perfectissimum. (per Defin. 1. Prop. 13.) Jam in suo genere perfectissimum & divinissimum non potest esse, nisi unicum. Alias perfectioni suae, quae summa esse debet, aliquid decederet. E. Religio vera est unica. Q. E. D.

PROPOSITIO XV.

Religio habet, ut statuamus, Deum esse potentem.

DEMONSTRATIO.

Liquet ex Prop. 13. Quia Deus habet omnes perfectiones. Et est independens, (per Corollarium I. Prop. 13.) qui sibi omnia dare potest. E. habebit perfectam potentiam. Q. E. D.

COROLLARIUM I.

Quare Deus ab omnibus est timendus. Quia potens obluantibus malum infligere, eosque ad obedientiam compellere potest.

COROLLARIUM II.

Deo obediendum est semper & in omnibus: Post alias rationes etiam ideo, quoniam ipsius potentiae & viribus nemo superior esse potest, adeoque stultum foret contra stimulum potentioris calcitrare.

SCHOLIUM.

Graviter proinde erat *Benedictus Spinosus*, cum (a) inquit: neminem ex natura scire, se ulla erga Deum

(a) Tract. Theol. Pol. Cap. 16. p. 154. uti & in Opp. posth. p. 273. seq.

Deum teneri obedientia, imo nec ulla ratione assequi posse &c. Sed de his prolixius dispiciemus
Cap. II.

COROLLARIUM III.

Virtutes à Deo præscriptæ, & divine Naturæ humanæque congruæ, sunt exercendæ. Deus enim, post alias rationes, cogere & punire potentia sua potest secus agentis.

PROPOSITIO XVI.

Religio jubet, ut statuamus, Deum esse bonum.

DEMONSTRATIO.

Habet enim omnes perfectiones: (per Prop. 13.) Est independens, (per Coroll. 1. Prop. 13.) qui omnia sibi dare potest. E. etiam bonitatem.

COROLLARIUM I.

Quapropter Deus est amandus. Nam Beneficia, quæ Bonitas divina in nos conferre potest, amorem exigunt, ut nos iis dignos comprobemus, & majora ab eadem expectare possimus.

COROLLARIUM II.

Deus est honorandus, quia bonus est, (per Prop. 16.) & potens. (per Prop. 15.) Existimatio autem, de alicujus potentia & bonitate, honor appellatur.

COROLLARIUM III.

Deo est confidendum & in eo sperandum. Quia bonus est, (per Prop. 16.) qui nolit fallere, & potens, (per Prop. 15.) qui possit promissis stare.

CO-

COROLLARIUM IV.

In Dei voluntate est acquiescendum. Est enim bonus, (per Prop. 16.) qui nunquam patietur, ut aliquid mali nobis accidat. Est etiam potens, (per Prop. 15.) qui de futuris presentibus & prateritis disposuit, & ad nostrum commodum omnia disponere potest.

SCHOLIUM.

Ex Corollariis & Prop. 15. 16. iterum patet, dari Religionem, quod supra jam demonstratum est Prop. 5. Omnia enim, quæ h. l. adducta sunt, conjunctim sumta, cognitionem & cultum Dei, h. e. Religionem constituunt.

PROPOSITIO XVII.

Religio jubet, ut statuamus, Deum condidisse omnia.

DEMONSTRATIO.

Condere Mundum est infinitæ perfectionis, quoniam nemo mortalium, & qui magnis etiam perfectionibus instructus est, rem minutissimam suis viribus producere (non dico componere) potest. Deus autem est perfectissimus. (per Prop. 13.) E. Deus mundum condidit. Q. E. D.

COROLLARIUM I.

Patet proinde, mundum non esse æternum. Quia Deum conditorem agnoscit.

COROLLARIUM II.

Atheus jure creationis subjectus est Deo. Crea-

(C) 3 tio

tio enim est opus potentia & bonitatis divinae, ex quibus duobus fontibus legitime imperium acquiritur.

SCHOLIUM.

Errat ergo *Hobbesius*, qui Atheum non subiectum esse Deo putat, quoniam se nunquam ei subjecerit. Sed de his uberius agetur *Cap. III.*

PROPOSITIO XVIII.

Religio jubet, ut statuamus, Dei Providentiam gubernare omnia libere.

DEMONSTRATIO.

Deus habet omnes perfectiones: (*per Prop. 13.*) est potens: (*per Prop. 15.*) E. omnibus providere potest ope perfectionum suarum, malos potenter flectere, & ad usus suos disponere, bonis benefacere eosque custodire ob bonitatem suam, (*per Prop. 16.*) omnibus autem rebus terminos statuere, hoc vero est gubernare. Et quia Deus est independens (*per Coroll. 1. Prop. 13.*) & potentissimus, adeoque etiam liberrimus, quia quanto quisque est potentior, tanto magis liber est, quia nihil ipsi potest resistere. E. Dei providentia gubernat omnia libere. Q. E. D.

COROLLARIUM I.

Fatum igitur nullam datur, sed est Chimera Stoica.

SCHOLIUM.

De fato diversae Eruditorum sunt sententiae.

Quod

Quod si per fatum intelligere velis rerum determinationem naturalem ad fines suos, à Creatore ipsis inditos, cujus lege, quemadmodum *Livius* (a) inquit, immobilis rerum humanarum ordo feritur, uti etiam *Lipsius* fatum explicat: (b) Tum equidem de nomine universa lis est, neque apparet ratio, cur huic sententiæ repugnemus.

COROLLARIUM II.

Errat Spinoza, qui omnia necessario fieri docet.

(c) *Omnia enim ex voluntate & beneplacito divino libere diriguntur.* (per Prop. 18.)

PROPOSITIO XIX.

Deus animi nostri facultatibus potest percipi.

DEMONSTRATIO.

Deus habet perfectiones reales: (per Prop. 12.) est bonus & potens. (per Prop. 15. & 16.) Hæ perfectiones in animo attento & bene disposito cogitatione percipi possunt, ita ut sentiamus Religionis beneficio operationes divinas, & Tranquillitatem animi (per Defin. 1.) E. Deus animi nostri facultatibus potest percipi Q. E. D.

COROLLARIUM I.

Datur in animis nostris sensus de Deo, & Idea.

(C) 4

DE-

(a) Lib. 25. 26. 7. (b) Polit. L. 1. cap. 4. §. 1. 2. seq. (c) Opp. posth. p. 273. cap. 2. §. 8. Tract. Pol. & Epist. 23. 24. Et Tract. Theol. Pol. cap. 16. p. 273.

DEMONSTRATIO.

Sensus de Deo est agnitio Numinis ex operibus (latius acceptis, ut etiam cogitationem includant) in mentibus nostris. At vero habemus perceptionem de Deo in animis (*per Prop. 19.*) E. datur in animis sensus de Deo. Q. E. D.

COROLLARIUM II.

Unde elucescit sententiæ Hobbesianæ falsitas, qui (a) ait, *nullum nobis rei infinitæ esse conceptum, neque de Deo honorifice dici posse, quod Idea ejus animo nostro infit, quam deinceps exacte sub examen vocabimus Cap. III. §. 4. seqq.*

PROPOSITIO XX.

Religio naturalis per se exigit potissimum cultum internum.

DEMONSTRATIO.

Religio N. docet cognitionem, cultum Dei, & Tranquillitatem conscientiæ. (*per Def. 1.*) Atqui cognitio Dei est internum quid in mente. Cultus Dei, qui ex attributis divinis rationi innotescit, etiam est internum, uti Timor Dei, Obedientiæ, Amor, Honor, Confidentia, Spes & Acquiescentia. (*per Coroll. Prop. 15. 16.*) Tranquillitas conscientiæ pariter est res interna, & quæ per se sensibus non est conspicua. Omnia autem hæc interno affectu sive cultu intra nos exerceri possunt. Deus vero quoniam est perfectissimus, (*per Prop.*

13.)

(a) De Civ. c. 15. §. 14.

13.) ideo etiam est omniscius: Igitur quantum lumine naturali cognosci potest, externa non requirit. Hinc Religio N. per se exigit potissimum cultum internum. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Nemo vi externa cogi nec potest nec debet ad Religionem.

DEMONSTRATIO.

Interna coactioni hominum externæ exempta sunt. Interna enim, quia sublimiora & invisibilia sunt, excedunt sphaeram coactionis externæ. Deo autem potissimum interna placent. Quia Religio cultum magis internum postulat. (*per Prop. 20.*) E. ad Religionem nemo cogi vi hominum externa potest nec debet. Q. E. D.

PROPOSITIO XXI.

Religioni N. cultus externus minime repugnat, qui interdum propter alios exercendus est.

DEMONSTRATIO.

Cultus externus est, ubi certis signis actus nostri interni, Obedientiæ, Timoris, Amoris &c. adversus Deum extrinsecus declarantur. Jam qui signis istis internis se excitare potest, is exinde capit utilitatem. Quæ non est negligenda; (*per Axiom. §. 7.*) Sed tanquam dictamen luminis naturalis in Religionis negotio istiusmodi homini est observandum. (*per Prop. 11.*) Et quoniam unum verum

bonum utile alteri vero bono utili non repugnat, sed subordinatur, sequitur, quod Religioni Naturali cultus externus non repugnet. Quod erat demonstrandum primum.

Qui sensualibus rebus inhaerent, istis externa ad excitationem sunt necessaria. Nondum enim pure spiritualium, h. e. internorum sunt capaces, adeoque pro tempore istiusmodi homini interna sunt adhuc inutilia: ex externis autem ad interna sublimiora proficere potest, adeoque utilitatem aliquam capere. Quod non est negligendum; (*per Axiom. §. 7.*) sed tanquam dictamen rationis observandum: (*per Prop. 11.*) Inprimis cum cultus externus Religioni N. non repugnet, (*per Demonstrat. anteced.*) siquidem nobis non damno, aliis autem commodo fuerit. E. propter alios, qui ex internis utilitatem nondum capere possunt, cultus Religionis N. externus est exercendus.

SCHOLIUM.

Homines in duplici, aut potius in multiplici sunt differentia. Aut enim utuntur iudicio rationis, aut iudicio sensuum & imaginationis. His cultus externus maxime proficuum est (*per Demonstrat. Prop. 21.*) ut illis non sit statim necessarius, (*per Prop. 20.*) sed plerumque indifferens. Priores tamen tenentur ad ritus debitos posteriorum, se demittere cultu externo, ut infirmos ignarosque manuducant ad sublimiora, methodo naturæ congruo, quæ raro saltum facit. Modo observetur,

ne

ne in externis tantum, tanquam in rudimentis, subsistendum sibi putent, aut alios interno cultu solum addictos, necessario ad externa quævis obligari existiment. Omnia interim quæ h. l. à nobis dicuntur, ad Religionis N. negotium pertinent, utpote quibus de Religione Revelata nulla hic agendi potestas est.

PROPOSITIO XXII.

Religio N. nunquam absurda aut perniciofa suadet vel præcipit.

DEMONSTRATIO.

Religio est scientia tradens ea, quæ Deus à nobis exigit, ut ipsi grati simus: (per Def. 1.) Deus autem est perfectissimus: (per Prop. 13.) E. etiam sapiens, & bonus. (per Prop. 16.) Quare nec absurda, quæ repugnant sapientiæ, nec perniciofa, quæ adversantur bonitati suæ, præcipere potest. Quoniam igitur Religio Deum habet Auctorem sapientem & bonum, sequitur quod nec absurda nec perniciofa præcipere possit. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Igitur qui Religionis prætextu absurda & perniciofa profert, non est audiendus.

DEMONSTRATIO.

Religio N. absurda & perniciofa exigere non potest. (per Prop. 22. hujus.) Et quoniam stultissimus mortalium est, qui utilitatem suam negligit, (per Axiom. §. 7.) & contra perniciofa atque absur-

surda amplectitur, sequitur, à nemine talia esse admittenda, licet Religionis prætextu proponantur. Q. E. D.

SCHOLIUM.

Circumspiciendum autem est accurate & diligenter, an aliquid vere absurdum & perniciosum sit, quod profertur, an vero *apparenter* tale, ob præjudicia & imaginationis errores judicetur. Si enim quis ex vero Religionis Zelo fortunas suas aut vitam perdit, quam ut injuria innocentem afficiat, aut Deum offendat, is rem perniciosam corpori quidem perfert, sed quod secundum rationis æstimationem minutum, & per comparisonem sumtum, veluti *apparenter* tale est, cum revera damnum illud utile sit animo, cujus Tranquillitas rerum externarum jacturâ promovetur, omnibusque rebus præferenda est, (*per Prop. 4.*) ut Deo tanto sit acceptior. *Conf. Sobol. ad Axiom. S. 7.*

PROPOSITIO XXIII.

Religio N. ad hanc maxime vitam ejusque Tranquillitatem, non ad æternam se extendit.

DEMONSTRATIO.

Religio N. est scientia, quæ docet, quid Deus ab hominibus *in statu Naturæ* exigit, ut ipsi grati sint, & tranquillam vitam vivant. (*per Def. 1.*) Jam vero Status Naturæ se non extendit ad vitam æternam. Status enim naturæ circa visibilia, sensibi-

sibilia & rationalia hujus mundi occupatur, quatenus ratione sibi relicta comprehendere & investigari possunt. Cætera vero per se ignorat. Igitur Religio naturalis ad hanc maxime vitam temporalem se extendit. Q. E. D. M. J. C.

SCHOLIUM.

Hominem semper in aliqua re quiescere, per Naturam necessum est. Jam *Status Nature* pro fine habet quietis suæ res rationales, & quæ sensibus percipiuntur. In harum possessione acquiescit, atque vel divitias, vel honores, vel voluptates obtinet, aut ad summum, conceptum & ideam de divinis attributis sibi format, illisque consideratione inhaeret. *Status* autem *gratie* Dei ipsius possessionem conjunctionemque habet, in qua animus quiescit. Ad hanc autem felicitatem, statum naturæ non perungere dicimus.

COROLLARIUM.

Nemo itaque Religione N. æternum salvari, & vitam cælestem impetrare potest. Quia Religio N. ad futuram æternamque vitam non porrigitur, (per Prop. 23.)

SCHOLIUM.

Errant proinde *Franciscus Puccius, Eduardus Herbertus* similesque, qui existimant, Religione N. universas Gentiles, & omnes ductum rationis secutos, salvari potuisse, licet nulla supernaturali gratia adjuti fuissent.

PRO.

PROPOSITIO XXIV,

Religio Naturalis manuductio est ad Religionem revelatam.

DEMONSTRATIO.

Religio N. docet ea, quæ Deus exigit in statu Naturæ ab hominibus, ad sui cognitionem & cultum, ut ipsi grati sunt: (*per Def. 1.*) docet, quod Deus existat, (*per Prop. 12.*) quod creavit omnia, (*per Prop. 17.*) quod conservet mundum, (*per Prop. 18.*) quod sit perfectissimus, (*per Prop. 13.*) in specie quod sit potens, (*per Prop. 15.*) & bonus: (*per Prop. 16.*) quod sit timendus, amandus, honorandus, ipsi obediendum &c. (*per Coroll. Prop. 15. 16.*) Idem docet Religio revelata, sed modo multo perfectiori. Quæ autem scientiæ idem, gradu licet diverso & plenius, docent, illæ inter se affinitatem habent notitiæ. Adeoque sibi invicem subordinantur, ut una sit manuductio ad alteram. Hoc cum faciat Theologia Naturalis (*per Propp. b. l. allegat.*) E. Theologia Naturalis est manuductio ad Theologiam Revelatam. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Ergo qui Religionis N. præcepta, quæ Deus exigit, observat, felicissime ad Religionem Revelatam perveniet. Quia Religio N. est manuductio ad Revelatam, (per Prop. 24. hujus.)

SCHOLIUM.

Quare si Gentiles fideliter obsecuti fuissent dictami-

Etaminibus sanæ rationis, sibi concessæ, divina bonitas eos cœlesti revelatione & supernaturali lumine dignata fuisset, cujus ope ad vitam æternam pervenire ipsis contigisset.

PROPOSITIO XXV.

Religio N. firmamentum certissimum addit legibus civilibus & naturalibus.

DEMONSTRATIO.

Qui Religionem N. colit, is Deum timet, amat, ei obtemperat &c. (*per Coroll. Prop. 15. 16.*) Adeoque omnia honestatis præcepta observat, (*per Prop. 11.*) idque cultu interno. (*per Prop. 20.*) licet nemo forte hominum delicta sua resciscere, ipsum cogere, aut punire posset. Ex Religione enim N. omnia sine coactione aguntur, quæ nos Deo gratos reddunt. (*per Coroll. Prop. 20.*) Quia utile hoc est ad Tranquillitatem animi, (*per Def. 1.*) quam non nisi stultissimus negligit: (*per Axiom. §. 7.*) Jam leges civiles sunt præcepta honestatis & utiles, quia conservant corpus & animam hominis in statu securo, (*per Schol. Defin. 3. §. 7.*) sine quibus vivere nemo potest. (*per Def. 2. §. 7.*) Has cum Religio sponte ob timorem, amorem & reverentiam Numinis observare doceat, (*per Coroll. 3. Prop. 15.*) etiamsi externa hominum coactio absit, sequitur, quod Religio N. firmamentum certissimum addat legibus civilibus & naturalibus. Idem alio modo & brevius sic demonstro.

Quic-

Quicquid Religio N. præcipit, illud ab unoquoque studiose & firmiter observandum est: (*per Coroll. Prop. 11.*) Jam Religio N. docet, ut leges civiles & Naturales observemus, licet metus externus abfuerit. Quia sunt ad nostram utilitatem & conservationem latae, quæ à nemine nisi stultissimo negligi potest. Idque ideo ut Deo gratissimus & ipsi obediamus, (*per Def. 1. & Coroll. 2. Prop. 15.*) cultu inprimis interno: (*per Prop. 20.*) E. Religio N. certissimum addit legibus civilibus & Naturalibus firmamentum. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Pactorum fides Religionis N. sanctimonia inprimis nititur. Quia pacta sunt leges civiles, aut naturales repetita, quibus Religio N. firmamentum addit. (*per Prop. 25. hujus.*)

PROPOSITIO XXVI.

Religio conservat Societates civiles.

DEMONSTRATIO.

Quod firmamentum addit legibus civilibus, hoc societates civiles conservat, quoniam nulla firma est Societas sine bonis legibus. Et quo firmitus bonæ leges servantur, eo constantior est Societas: Jam verò Religio firmamentum addit legibus civilibus: (*per Prop. 25.*) E. Religio conservat Societates civiles. Q. E. D.

PROPOSITIO XXVII.

Atheismus dissolvit Societates,

DE.

DEMONSTRATIO.

Qui nullas leges fidemque servat, is destruit Societates. Nulla enim Societas sine legibus consistit: Atheismus autem nullas leges servat, quia in sua conscientia nullo superioris metu nec amore tenetur. Atheus enim non agnoscit Numen, nec Religionem, quod tamen ad legum firmitatem fidemque necessarium est: (*per Coroll. Prop. 25. & Prop. 26.*) E. Atheismus dissolvit & destruit Societates.

SCHOLIUM.

Inquies, Atheum tamen servare leges. Nemo enim unquam vixit, qui non aliquando fidem servavit: Atheum etiam agnoscere superiorem, nimirum Magistratum civilem. Respondeo, Atheum servare fidem legesque, sed ex commodo tantum suo & utilitate, ubi ipsi videbitur pro lubitu, ut sibi tantum serviat, non vero ut Deo gratus sit, atque ut utilitatis fructum in conscientia sentiat. Si autem Magistratui obtemperat, hoc metu & coacta facit, non autem per conscientiam. Vix autem contingere potest, quin Magistratus custodia mille modis eludi possit, per calliditatem hominis, nullo conscientiae vinculo constricti. (a)

PROPOSITIO XXIIII.

Boni civis Religio in eo versatur, ut semper interno cultu Deo placeat.

(D)

DE-

(a) Add. Puffend. Off. H. & C. L. I. c. 4. §. 9.

DEMONSTRATIO.

Internus Religionis cultus semper Deo gratus acceptusque est. Quoniam hunc præsertim Deus, quantum ad se attinet, requirit. (*per Prop. 20.*) Bonus vero civis proinde homo est, qui corpus sanum & conscientiam tranquillam conservare, (*per Def. 2.*) nec utilitatem suam negligere studet, (*per Axioma §. 7.*) quod sine cultu interno plane contingere nequit; (*per Prop. 20.*) cum interim externus cultus abesse possit: (*per Schol. Prop. 21.*) **B.** boni civis Religio interno cultu præcipue & semper placere Deo studebit. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Ergo bonus civis dabit operam, ut interna, qua Deus semper exigit, probe cognita & perspecta habeat. Quia sine prævia internorum cognitione solidiori cultum Deo gratum nec exercere, neque Deo placere potest. Quod committere absurdum est. (per Prop. 28. hujus.) Evitabit ergo per solidam cultus interni notitiam Atheismum, & imprimis pestem illam omnis vere Religionis Superstitionem.

PROPOSITIO XXIX.

Boni civis Religio facit, ut fidem, equitatem & justitiam servet.

DEMONSTRATIO.

Bonus civis est, qui salutaribus imperantis mandatis sponte obtemperat, & per hoc salutem communem promovet. (*per Def. 3. §. 7.*) Religio autem

autem ipsum docet, ut omnia faciat, per quæ Deo gratus sit, & conscientiam tranquillam habeat: (*per Def. 1.*) Salutaria autem imperantis mandata sunt, ut à civibus servetur fides, æquitas & justitia. Contraria enim essent noxia imperanti & civibus, quod nemo præsumitur velle, nisi fuerit insipientissimus. (*per Axiom §. 7.*) Religio item docet fidem, æquitatem & justitiam servare. Sunt enim dictamina luminis rationis, quæ observanda sunt, (*per Prop. 11. & Coroll.*) & contrarium hominem nec conservat, nec tranquillat. (*contra Def. 2.*) E. Religio facit, ut bonus civis fidem, æquitatem & justitiam servet. Q. E. D. Alias ita.

Bonus civis nunquam negligit utilitatem suam: (*per Axiom. & Def. 3.*) Religio autem docet fidem, æquitatem & justitiam afferre summam utilitatem. Quia Deus has virtutes jussit exercere, ni velimus puniri ab eodem: (*per Coroll. 3. Prop. 15. & 10.*) E. Bonus civis propter Religionem servabit fidem, æquitatem & justitiam. Q. E. D.

PROPOSITIO XXX.

Boni civis Religio facit, ut promptius obtemperet imperanti, quam Atheus & Superstitiosus.

DEMONSTRATIO.

Prima pars hujus Demonstrationis, quod bonus civis obtemperet promte imperanti, patet *ex Defin. 3. §. 7.* Quod autem sincere & ex animo

(D) 2

obtem-

obtemperet propter conscientiam & Religionem, patet ex *Prop. 15. Coroll. 2. & Prop. 28. uti & Prop. 11.*

Secunda autem pars, quod bonus civis propter Religionem obtemperaturus sit promptius imperanti, quam Atheus & Superstitiosus, hoc modo demonstratur. Atheus est, qui nullum superiorem, nimirum Deum, agnoscit, & pro lubitu tantum, & ex commodo leges servat. (*vid. Schol. Prop. 27.*) Igitur ingenio suo utitur, & si metus presentissimus abfuerit, in tantum obtemperabit, in quantum sibi commodum videbitur, in cæteris jussa imperantis impune aspernabitur, licet maxime salutaria ad utilitatem communem fuerint præcepta. Est enim Atheismus ingeniosa stultitia. (*per Prop. 8.*) Superstitiosus contra propter dementiam suam, ne cognoscet quidem præcepta imperantis, sibi aliisque ad salutem data fuisse, adeoque si phantasia ejus ipsi quid in contrarium dicitaverit, multo promptius stultitiæ suæ, licet exitiosæ, quam legi salutari obtemperabit. Est enim Superstitio stultitia absurda. (*per Prop. 9.*) Bonus civis contra, qui Religionis naturalis institutum sequitur, ejusque dictamina observat, (*per Prop. 11.*) & superiorem Deum agnoscit, nec nimis & callidæ ingeniositati Athei indulget, nec absurdam stultitiam Superstitiosi fovet, sed ratione & cultu Numinis, quemadmodum par est, utitur. (*per Schol. Coroll. Prop. 9.*) Sequitur E. quod bo-

bonus civis promptius Imperanti, præ Atheo & superstitioso obtemperaturus sit. Q. E. D.

PROPOSITIO XXXI.

Boni civis Religio nunquam turbat Rempublicam aut statum civilem.

DEMONSTRATIO.

Bonus civis servat fidem & æquitatem. (*per Prop. 29.*) Hoc vero nunquam turbat rempublicam: Dat quoque operam, ut interno cultu Deo placeat. (*per Prop. 28.*) Deo autem placet pax & tranquillitas civitatis: Studet promovere bonum publicum. (*per Def. 3. §. 7.*) Religio autem Boni civis firmamentum addit legibus, (*per Prop. 25.*) & conservat societates civiles. (*per Prop. 26.*) E. B. C. Religio nunquam turbat Rempublicam aut statum civilem. Q. E. D.

PROPOSITIO XXXII.

Religio docet bonum civem, ut sua sorte contentus sit, & fortunam equaliter ferat.

DEMONSTRATIO.

Qui Deo obtemperat, ipsi confidit, atque in ejus voluntate acquiescit, is sua sorte contentus est, quia Deus ipsum in hanc stationem collocavit: & fortunam æquabiliter fert, quia Deus potens est, (*per Prop. 15.*) qui ipsi auxilio adesse potest, idemq; bonus est, (*per Prop. 16.*) qui omnia ad salutem suam disponit. Religio bonum civem erudit, ut Deo ob-

temperet, (per Coroll. 2. Prop. 15.) ipsi confidat, & in voluntate ejus acquiescat. (per Coroll. 3. 4. Prop. 16.) E. Religio docet B. C. ut sua forte contentus vivat, & fortunam æquabiliter ferat. Q. E. D.

PROPOSITIO XXXIII.

Criteria Religionis N. quæ Atheismo & Superstitioni opponitur, in bono cive sunt, moderamen affectuum, terrestrium justa æstimatio, æquitatis & modestiæ studium.

DEMONSTRATIO.

Qui sua forte contentus vivit, & fortunam æquabiliter ferre novit, is moderatur affectus, quoniam affectus indomiti nunquam contenti sunt sorte sua, nec æquabiliter eam ferunt: Is terrestribus justum pretium ponit, quia sine justa æstimatione, terrestrium jactura aut accessio animum vel deprimat vel extollit, nec æquabiliter hominem sorte sua contentum vivere permittit: Is æquitati studet, quoniam iniquitas, quæ æquitati opponitur, inæquabilem vitæ rationem indicat, & sortis suæ tedium arguit, quia ejusmodi, invita & reluctante fortuna, aliud quid injuste appetit: Is modestiæ deditus est, quoniam nemo ipsi de constanti rerum flore, uti nec de calamitatis perpetuitate cavet, ut nulla causa sit, cur nimium se attollendo aut deprimendo, modestiæ limites egrediatur.

Jam

Jam vero Religio B. C. docet, ut sua forte sit contentus, & fortunam suam aquabiliter ferat: (*per Prop. 32.*) E. B. C. moderabitur affectus, terrestria justo pretio æstimabit, æquitatis & modestiæ studiosus erit.

Porro cujus rei B. C. serio est studiosus, illud opere ipso in vita præstabit, ut ex factis suis elucescat, quod istum vitæ morem ex Religione sua hauserit. Quicquid ex factis & apertis certisque iudiciis alicujus elucescit, vocatur Criterium. E. Criterium Religionis boni civis est moderamen affectuum, terrestrium justa æstimatio, æquitatis & modestiæ studium. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Qui hisce Criteriis plane destituuntur, aut nullam, aut falsam habent Religionem. Quoniam Religio B. C. hæc omnia docet, quæ recte Religionis criterium sunt. (per Prop. 33. hujus.)

PROPOSITIO XXXIV.

Religio Naturalis vera, & utilis, sed tamen infirma, & ad perfectam Beatitudinem obtinendam insufficiens est.

DEMONSTRATIO.

Religio N. hausta est ex lumine rationis, (*per Coroll. Prop. 11.*) & deducitur ex principiis, quæ nemo in dubium vocare potest, (*uti sunt Defini-*

(D) 4

tiones

ziones & Axioma §. 7.) E. vera est Religio Naturalis. Q. E. D. primum.

Religio N. docet, quomodo Deo grati, & conscientia tranquilli esse possimus, (*per Defin. 1. & Prop. 28.*) evitato Atheismo & Superstitione: (*per Scholium Coroll. Prop. 9.*) est manductio ad Religionem Revelatam: (*per Prop. 24.*) est firmitermentum legum, (*per Prop. 25.*) conservat Societates: (*per Prop. 26.*) Docet servare æquitatem, fidem, justitiam, obedientiam: (*per Prop. 29. & 30.*) Docet animi continentiam, moderamen affectuum, terrestrium justam æstimationem, æquitatem & modestiam, (*per Prop. 32. 33. & Scholium Prop. 12.*) quæ manifesta commoda, non nisi ab insipientissimo negligi possunt. (*per Axiom. §. 7.*) E. Religio N. est utilis. Q. E. D. secundum.

Religio N. ex Lumine rationis tantum deducitur, (*per Prop. 11. & Def. 1.*) tantum circa statum Naturæ & temporalia h. e. infirma, peritura & inconstantia versatur. (*per Prop. 23. & Schol.*) Lumen Naturæ autem, quantumvis verum sit, tamen valde infirmum, debile & obscurum; status autem naturæ periturus & inconstans est. Evidens autem est, talem esse ex principiis deductam scientiam, quale est ipsum principium, unde deducitur. Quod cum debile sit & infirmum, qualis est h. l. ratio humana & status naturæ, sequitur, quod hausta inde scientia, nimirum Religio N. valde infirma sit. Q. E. D. tertium.

Reli.

Religio N. est admodum debilis & infirma, (*per Demonstrat. anteced.*) docet tantum ea, quæ Lumini Naturali in statu naturæ de Deo cognoscuntur. (*per Def. 1.*) Superest autem adhuc status supernaturalis & Lumen gratiæ, quod Lumine Naturæ multo firmiter est. Quia Deus est perfectissimus, (*per Prop. 13.*) quem multo perfectius cognoscere possumus, quam quidem cognoscimus per Religionem N. Per hanc enim ejus perfectiones aliquo modo, & veluti per umbram cognoscimus. Ad perfectissimam autem beatitudinem requiritur perfectissima cognitio. Quam cum Religio N. non suppeditet, sed sit tantum manu ductio ad Religionem Revelatam: (*per Prop. 24.*) Sequitur quod Religio N. sit insufficientis ad perfectam Beatitudinem obtinendam. Q. E. D. quartum.

SCHOLIUM.

Recte Rationi suus non est denegandus honos & dignitas, cujus robur & præstantiam satis explicant Rerum Naturalium & Philosophicarum cultores. *Consul. inter alios Malebranchius de inquirenda veritate, & libro gallici idiomatis, cui nomen Traité de la metaphisique &c. Job. Lockius de intellectu humano, & honoris causa primo loco mihi nominandus illustris Dn. de Tschirnbaus, in Medicina Mentis, ubi veritates methodo Mathematica deducere docet. Negari tamen non debet, rationem multis interdum obnoxiam esse lapsibus, quo de vid. brevis sed elegans libellus Ge-*

orgii Mackenzei de humanae ratiocinationis imbecillitate, in Hollandia a Cl. Gravio, deinceps Jenæ 1691. in 8vo recusus.

PROPOSITIO XXXV.

Religio Naturalis vehementibus animi passionibus aliquantum obistere, eas autem vincere & perdomare non potest.

DEMONSTRATIO.

Nemo nisi stultissimus certissimam utilitatem negligit. (*per Axiom. §. 7.*) Religio N. dicitur certissimam capi utilitatem, si passionibus nostris obistamus. Quia secundum rationis dictamen, cuius Religio N. pars est, vivendum est, (*per Coroll. Prop. 11.*) non vero secundum passiones, quæ rationi opponuntur. Quoniam igitur utilitas, quæ omnia negotia humana dirigit, major speratur, si Religioni, quæ Gratiam Dei, & Tranquillitatem conscientiae annexam habet, quam si passionibus, quæ modicam & desultoriam afferunt voluptatem, interim tamen iram divinam hominumque odia sibi concitant, obtemperaverimus. Sequitur quod hac ratione Religio N. obistere aliquantisper passionibus possit. Q. E. D. primum.

Præcepta Religionis N. deducuntur ex sana ratione. (*per Coroll. Prop. 11.*) Ratio autem est lumen infirmum & debile. (*per Prop. 34.*) Passiones contra sive commotiones animi sunt robustum ali-

aliquid & firmum. Participant enim aliquid ex animi fortitudine, quæ imaginatione turbatur, & ex spirituum animalium robore plenas vires suas habent, adeoque gemino robore pollent. Sunt igitur rationi soli sibi que relictæ fortiores. E. nisi rationis lumen supernaturali Gratia & viribus adjuvetur, ut pugnare contra passiones, eorumque geminum robur frangere, & commotiones sedare possit, Religio N. nunquam passiones animi vincere easque perdomare poterit. Q. E. D. secundum.

COROLLARIUM.

Patet proinde, hominem & bonum civem non posse acquiescere in sola Religione N. sed parata per hanc via, contendet ad Religionem Revelatam, illam aeternæ & beatissimæ vitæ auctricem.

DEMONSTRATIO.

Bonus civis sponte obtemperare studet mandatis Magistratus, (per Def. 3. & Prop. 30.) & facere ea, quæ Religio exigit, ut Deo gratus & in conscientia tranquillus sit. (per Prop. 28.) Homo vero majorem utilitatem suam nunquam negligit. (per Axiom. §. 7.) Hoc vero plene, & uti homo atque B. C. cupit, obtinere non potest per Religionem N. Quia per hanc homo & B. C. passiones suas, uti par est, vincere non potest, (per Prop. 35. *hujus*) nec proinde omnia ex voluntate sua exequi. Est enim Religio N. infirma. (per Prop. 34.) Religio autem Revelata majus robur & beati-

beatorem felicitatem pollicetur, quia Deus est perfectissimus, adeoque perfectius adhuc potest cognosci, quam per Naturam intelligitur. Ad hoc autem Religio N. nos manuducit: (*per Prop. 24.*) E. B. C. & homo, qui utilitatem suam negligere non vult, (*per Axiom. & Def. 2.*) non acquiescet in Religione N. sed per hanc ad Revelatam atque supernaturalem contendet. Q. E. D.


SCHOLIUM.

Quemadmodum *Natura & Gratia* in uno homine conjungitur: sic arctissimus inter *Religionem Naturalem & Revelatam* nexus est. Natura enim ejusque status (*qui Definitione V. explicatur*) fundamentum est Religionis *Naturalis*, sicuti *Gratia Religionis Revelatae*. Hinc facile & magna cum certitudine perducuntur ad demonstrationes Religionis Revelatae percipiendas, qui recta demonstrandi methodo philosophica in Religione naturali assveti sunt. Uti enim una veritas aliam confirmat & provehit: ita qui methodum excolerunt, quæ non nisi perspicuis principiis utitur, ex clare cognitis fundamentis rite deductas inde consequentias colligit, & coherentem ac justo ordine omnia connectit, deinceps ad sublimiora progressi commode ista percipient, & felici cursu perficient. Quibus cognoscendi subsidiis qui destituitur, vel judicare de doctrinis sibi propositis sine errore nequit, vel notitiam sibi tantum comparabit confusam & male admodum coherentem, cui si quid à dissen-

dissentiente objiciatur, nesciet aut certe dubius erit, quomodo aut ex quibus principiis dilui debeat argumenti nervus. Ex quo consequitur, ut de sententia sua hæere & anxius esse cogatur. Id vero quomodo evitari possit, vix apparet, nisi certa, quæ haberi possunt, fundamenta, & quæ ratione recta utentibus perspicua sunt, adhibeantur, atque ex iisdem non nisi evidentes conclusiones deducantur. *Religionem* vero revelatam non minori certitudine demonstrari posse, quam *naturalem*, exinde patet, quoniam (1) Religio revelata ex certis principiis, nimirum Revelatione supernaturali sanctis hominibus facta, nobisque in S. Scripturæ oraculis consignata, est profecta, & Deum fallere nescium habet auctorem. (2) Si lumen rationis hanc habet claritatem & certitudinem, ut sua demonstrare possit dogmata, quanto potius lumen fidei & revelationis, quod gratioso & supernaturali Spiritu S. dono contingit, hac claritate & virtute pollebit, ut ab eruditis & probis hominibus aliis possit per argumenta proponi, sicubi necessitas efflagitaverit.

Hinc revelata Religio, quæ quidem vera est, si non majori, eadem certe facilitate & perspicuitate sua probat dogmata, quæ ad salutem æternam necessaria sunt, ut proinde his principiis à nobis positis, nunquam adversetur Revelatio, sed potius, si cui placuerit, pari methodo ad clariorem intelligentiam commode eandem in aliorum gratiam quis deducere possit.

§. X. Atque hic est præcipuus finis & fructus Demonstrationum Philosophicarum, ut animum rationis principiis imbutum, præparent & admittant ad cognitionem rerum cœlestium & supernaturalium; ex quibus major claritudo & tranquillitas percipitur, quam lumine rationis quidem impetrari possit. Ad id etiam prodest cultura rationis, & inde deductæ demonstrationes, ne nimium creduli, Revelationum, nescio quarum, fide ducti, ad adoptanda superstitiosa & absurda dogmata deducantur, neque interim rationi nimium tribuentes, omnem Revelationum divinarum certitudinem explodamus, vel ejusdem absoluto judicio cœlestes veritates subjiciamus, & minus religiose de oraculis cœlestibus sentientes, reverentiam Verbo divino debitam exuamus. Quod prius *Benedicto Spinoza* atque vulgo Atheis; posterius autem *Thomæ Hobbesii* & Naturalistis contingere solere, orbis eruditus animadvertit. De quorum Duumvirum sententiis, sequentibus capitibus, quæ *Religio Vindicata* ab objectionibus *Spinoza* & *Hobbesii* inscribuntur, ex instituto differemus.





CAPUT II.

Quo confutatur error Spinozianus de Religione Naturali adversus Deum.

SUMMARIA.

De Spinozæ ingenio & erroribus. §. 1.	Solvitur Argumentum quartum. 11.
Spinoza nullam agnoscit Religionem in statu Naturali. §. 2.	Solvitur argumentum quintum præcipuum. §. 12.
Verba Spinozæ ex tractatu Theologico - Politico & Operibus posthumis. §. 3.	Respondetur ad primum errorem argumenti 5ti. §. 13.
4. 5.	Resp. ad secundum errorem argum. 5ti. 14.
Formatur Status controversiæ. §. 6.	Resp. ad tertium errorem argum. 5ti. §. 15.
Argumenta Spinozæ contra Religionem Naturalem. §. 7.	Resp. ad quartum errorem arg. 5ti. §. 16.
Solvitur Argumentum primum. §. 8.	Resp. ad quintum errorem arg. 5ti. 17.
Solvitur Argumentum secundum ex Epistola ad Romanos. §. 9.	Resp. ad sextum errorem argum. 5ti. 18.
Solvitur Argumentum tertium. §. 10.	Inciditur nervus argumenti quinti. §. 19.
	Respondetur ad exceptionem Spinozæ de fato. §. 20

§. I.



Um animi valde abjecti, & tenebris se bonas per artes eripere desperantis signum sit, aliena infamia aut obtreptione suam quærere glóriam: Non invidemus *Benedicto Spinosæ*, elogia acutissimi clarissimique Philosophi, quibus in *Præfatione Operum Posthumorum*, tum præcipue in *Epistolis* salutatur. Fortassis enim encomii hujus Auctõribus non contemnenda acuminis sui argumenta, in principiis Cartesianis abs se Geometricè dispositis, & alibi passim edidit. Cujus acuminis laude ne *Petrus* quidem *Poiret*, qui alias Atheismi, impietatis, fatuitatis, stultitiæ & insanitiæ *Spinosam* fere ubique damnat, haud quaquam defraudari posse concedit. (a) Quapropter neque nos animi amarulentia usi, neque inepto inclarescendi studio incitati, ejus ingenii laudem, ubi illam assecutus est, atrectare tentabimus. Sed cum à nobis (*Cap. I. coroll. Prop. 8.*) demonstratum sit, ingeniosas rerum speculationes neminem reddere felicem, nisi eas ad vera & salutaria converterit, ostendi haud difficulter potest, *Spinosam*, non obstante ingenii sui acumine, graviter lapsam esse, & in

(a) Vid. Discursus Præliminaris de Deo, Anima, & Malo §. 127. p. 75. Edit. 2.

& in Religionis Naturalis negotio (suos enim in Revelata Religione errores Theologi refutant) errasse.

§. II. Varii autem, nec leves *Spinose* prodiiti sunt errores, quibus confutandis plus operæ & temporis foret impendendum. Nos in præsentî circa unicum, & qui argumentum nostrum propius attingit, versabimur. Extat ille quidem in *Tract. suo Theolog. Polit.* (a) ubi diserte conatus est ostendere, hominem in statu naturali versantem nulla obedientia adversus Deum sive Religione teneri; omnem autem cultum divini Numinis homini obvenire per pactum expressum. Cujus rei hic est sensus, quod homo, nisi expresse Deo promiserit, se ei velle obedire & ea facere, quæ ipsi grata sunt, quæque à nobis *Cap. I.* demonstrata leguntur, non teneatur Numinis potentiam ejusque mandata revereri. Neminem autem, quatenus in statu Naturæ cupiditati suæ obtemperat, promississe Deo, se velle ipsius præceptis obedire: Quare nullam homini Naturali esse Religionem, aut obligationis vinculum, ut Deum & promulgata ipsius adversus se præcepta observet, adeoque furta, latrocinia, adulteria, cædes, pessimaque cupiditatis corruptæ crimina in statu naturæ non esse peccata, sed summo jure permissa.

(E)

§. III.

(a) Cap. 16. Edit. uti inscribitur, Hamb. quæ prodit in 4to. 1670. p. 184.

§. III. Sed ne *Spinoza* fiat injuria, quid obstat, quo minus ipsum loquentem audiamus? Ita vero dicto loco infit: *Nemo natura scit, se ulla erga Deum teneri obedientia, imo nec ulla ratione hoc assequi, sed tantum ex revelatione signis confirmata, unusquisque id habere potest. Quare ante revelationem nemo jure divino, quod non potest non ignorare, tenetur. Et ideo status Naturalis cum statu Religionis minime confundendus, sed absque Religione & lege, & consequenter absque peccato & injuria concipiendus, ut jam fecimus, & Pauli auctoritate confirmavimus. Nec tantum ratione ignorantia, statum Naturalem ante jus divinum revelatum, absque eodem concipimus; sed etiam ratione libertatis, qua omnes nascimur. Si enim homines ex Natura jure divino tenerentur, vel si jus divinum ex Natura jus esset, superfluum erat, ut Deus cum hominibus contractum iniret, & pacto & juramento eosdem obligaret. Quare absolute concedendum, jus divinum ab eo tempore incepisse, à quo homines expresso pacto Deo promiserunt in omnibus obedire, quo sua libertate Naturali quasi cesserunt, jusque suum in Deum transfulerunt, sicuti in statu Naturali fieri diximus.*

§. IV. Alter locus aliquantisper prolixior est, extat autem eodem capite pag. 175. ubi inquit: *Per jus & institutum Natura nihil aliud intelligo, quam regulas natura uniuscujusque individui, si-*

cun-

cundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus, ad certo modo existendum & operandum. E. gr. Pisces à natura determinati sunt ad natandum, magni ad minores comedendum, adeoque pisces summo naturali jure aqua potiuntur, & magni minores comedunt. Nam certum est, naturam absolute consideratam, jus summum habere ad omnia, quæ potest, h. e. Jus Naturæ eousque se extendere, quousque ejus se potentia extendit. Naturæ enim potentia ipsa Dei potentia est, qui summum jus ad omnia habet. Sed quia universalis potentia totius Naturæ nihil est, præter potentiam omnium individuorum simul: hinc sequitur, unumquodque individuum jus summum habere ad omnia, quæ potest, sive jus uniuscujusque se extendere, quousque ejus determinata potentia se extendit. Et quia lex summa naturalis est, ut unaquaque res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare, idque nulla alterius, sed habita sui tantum ratione: hinc sequitur, unumquodque individuum jus summum ad hoc habere, h. e. (uti dixi) ad existendum & operandum, prout naturaliter determinatum est. Nec hic ullam agnoscimus differentiam, inter homines & reliqua Naturæ individua, neque inter homines ratione præditos & inter alios, qui veram rationem ignorant, neque inter fatuos, delirantes & sanos. Quicquid enim unaquaque res ex legibus sua Natura agit, id summo jure agit, nimirum

(E) 2

quia

quia agit, prout ex natura determinata est, nec aliud potest. Quare inter omnes homines, quamdiu sub imperio solius Naturæ vivere considerantur, tam ille, qui rationem nondum novit, vel qui virtutis habitum nondum habet, ex solis legibus appetitus summo jure vivit, quam ille, qui ex legibus rationis vitam suam dirigit. Hoc est, sicuti sapiens jus summum habet ad omnia, quæ ratio dicitur, sive ex legibus rationis vivendi: Sic etiam ignarus, & animi impotens summum jus habet ad omnia, quæ appetitus suadet, sive ex legibus appetitus vivendi. Atque hoc idem est, quod Paulus docet, qui ante legem, b. e. quamdiu homines ex naturæ imperio vivere considerantur, nullum peccatum agnoscit. Jus itaque Naturale uniuscujusque hominis, non sana ratione sed cupiditate & potentia determinatur. Non enim omnes naturaliter determinati sunt ad operandum secundum regulas & rationes, sed contra, omnes ignari omnium rerum nascuntur, & antequam veram vivendi rationem noscere possunt, & virtutis habitum acquirere, magna ætatis pars, etsi bene educati fuerint, transit, & nihilominus vivere tenentur, si quæ quantum in se est conservare, nempe ex solo appetitus impulsu: Quandoquidem Natura illis nihil aliud dedit, & actualem potentiam ex sana ratione vivendi denegavit, & propterea non magis ex legibus sanæ rationis vivere tenentur, quam felis ex legibus Naturæ leonina. Quicquid itaque unus-

quis-

quisque, qui sub solo *Naturæ imperio* consideratur, sibi utile, vel ductu *sanae rationis*, vel ex affectuum impetu judicat, id summo jure *Naturæ appetere* & quacunque ratione, sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocunque demum modo facilius poterit, ipsi capere licet, & consequenter pro hoste habere eum, qui impedire vult, quo minus animum expleat suum. Ex quo sequitur, jus & institutum *Naturæ*, sub quo omnes nascuntur & maxima ex parte vivunt, nihil, nisi quod nemo cupit, & quod nemo potest, prohibere: non contentiones, non odia, non iram, non dolos, nec absolute aliquid, quod appetitus suadet, aversari. Nec mirum, nam *natura* non legibus humanae rationis, quæ non nisi hominum verum utile & conservationem intendunt, intercluditur; sed infinitis aliis, quæ totius *Naturæ*, cujus homo particula est, æternum ordinem respiciunt, ex cujus sola necessitate omnia individua certo modo determinantur ad existendum & operandum. Quicquid ergo nobis in *Natura* ridiculum, absurdum aut malum videtur, id inde venit, quod res tantum ex parte novimus, totiusque *Naturæ* ordinem & coherentiam maxima ex parte ignoramus: & quod omnia ex usu nostræ rationis dirigi volumus, cum tamen id, quod ratio malum esse dicitur, non malum sit respectu ordinis & legum universæ *Naturæ*, sed tantum solius *Naturæ* nostræ respectu.

S. V. Idem propemodum in Tractatu Politico (a) repetitur: *Sequitur jus & institutum Natura, sub quo omnes nascuntur homines, & maxima ex parte vivunt, nihil, nisi quod nemo cupit, & quod nemo potest, prohibere: Non contentiones, non odia, non iram, non dolos, nec absolute aliquid quod appetitus suadet aversari. Nec mirum, nam Natura non legibus humana rationis, quæ non nisi hominum verum utile & conservationem intendunt, continetur. Sed infinitis aliis, quæ totius Natura, cujus homo particula est, æternum ordinem respiciunt, ex cujus sola necessitate omnia individua certo modo determinantur ad existendum & operandum.*

S. VI. Evidens igitur est, secundum *Spinosam* nullam esse Religionem N. sed quicquid homini bruta cupiditas imperaverit, summo jure permiffum esse. Ad cujus paradoxo refutationem antequam accessum facimus, monendum, studio nos prætermittere, quæ de necessitate hominis agendi immutabili hoc loco insperguntur, quæque nos alio fortassis tempore plenius explicabimus. Notari autem maxime cupimus, quod hoc loco inter nos & *Spinosam* non queratur, an existere possit Status naturæ, ubi nulla Religio observatur. Hoc enim concedimus. Sed hoc imprimis in quaestione

nem

(a) Extat hic in Op. posth. quæ anno 1677. nulla loci mentione facta, in 4to. prodierunt, Cap. 2. §. 8. P. 273.

quem venit, an iste Status naturæ, ubi nulla Religio & reverentia adversus Deum observatur, humanæ naturæ ita sit conveniens, ut homines nullum committant peccatum, licet rationem & religionis naturalis cultum penitus ejurent & aspernentur, quoniam, ut verba Spinosæ §. 3. habent, *nemo natura scit, nec aliqua ratione assequi potest, se ulla erga Deum teneri obedientia: Status naturæ cum statu Religionis minime confundendus, sed absque Religione & lege, & consequenter absque peccato est concipiendus: & §. 4. Ignarus & animi impotens, summum jus habet ad omnia, quæ appetitus suadet, sive ex legibus appetitus vivendi. Quicquid unusquisque ex affectuum imperio sibi utile judicat, id summo jure appetere, & quacunque ratione, sive vi sive dolo, sive precibus, sive quocunque demum modo facilius poterit, ipsi capere licet, & consequenter pro hoste habere eum, qui impedire vult, quominus animum expleat suum. Hoc est, quod Spinosæ negandum esse dicimus.*

§. VII. Præcipua igitur quæstio est: *An in statu naturæ detur Religio, ac proinde homini naturali ex sana rationis præceptis, cujus Religio pars est, vivendum sit?* Affirmavimus quæsitum *Cap. I. Prop. 5. & 11.* Negat Spinosæ. Rationes, quæ ex adductis locis pro negativa colligi possunt, sunt sequentes. I. Nemo in statu naturali nec scit nec scire potest, se ulla adversus Deum obedientia teneri. Quoniam vero ad obedientiam, prævium

intellectus lumen requiritur, quo destituitur Status Naturæ: E. nec Religio locum ibidem habebit. II. Status Naturalis absque lege & peccato est concipiendus, quia status Religionis revelatæ demum docet per legem peccatum, quod antea ignorabatur, teste Apostolo Paulo (a) qui inquit: *Peccatum vero esse, non imputatur non existente lege. Ea: Peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam ipsam quoque cupiditatem non nossem esse peccatum, nisi lex dixisset, non concupisces.* III. Si homines ex Natura imperio divino forent obnoxii, supervacuum esset, ut Deus contractum cum eis ini-
ret, & eos denuo sibi obligaret pacto & juramento. Iniit autem de novo pactum per gratiam, ergo antea in statu Naturæ nullum fuit. IV. Jus Naturale non sana ratione, sed potentia cujusvis determinatur: igitur nulla est in statu Naturali Religio, quoniam Religio ex sana ratione proficiscitur. V. Non omnes obligantur ad operandum secundum regulas rationis. Quoniam multi se vitamque conservare tenentur, qui ratione destituuntur, uti infantes, fatui & doctrinæ omnis ignari. Qui vero non tenentur secundum rationem vivere, illi neque ad Religionis officia obligantur. Quoniam Religio Naturalis rationis præcipua pars est. Atque hæc sunt argumenta, quibus evinci posse existimavit Spinoza, nullum in statu Naturæ dari peccatum, nec Religionem in Deum, omnia vero
ibi.

(a) Rom. V, 23. & Cap. VII, 7.

ibidem licere homini, quæ cupiditas dicitaverit, adeoque vi, dolo, fraude, precibus & quacunque tandem ratione, posse quemque ad adultéria, latrocinia, cædes, rapinas, deceptiones, similiaque criminaria impune grassari.

§. VIII. Quæ vero quam longe à vera Philosophia absint, ostendisse, non ardui laboris nec operæ est. Negamus enim, quod ad *argumentum primum* attinet, *Neminem in statu Naturæ scire posse, se obedientia adversus Deum ulla teneri.* Quoniam enim homo rationis lumine in statu Naturæ instructus est, consequitur, quod scire possit Deum esse potentem. (*per Cap. I. Prop. 15.*) Potentiori autem debetur obedientia. (*per Coroll. 2. Prop. 15.*) Quod jus sibi Deus opere creationis (*per Prop. 17.*) in omnia acquisivit, & beneficio conservationis sive Providentiæ (*per Prop. 18.*) optimo jure exigere ab homine potest. Nec est, quod dicas, quod illud quidem ductu rationis sciri possit, verum à plurimis, si non ab omnibus in statu Naturæ actu ignorari. Cum enim nihil tam obvium, nihilque tam æqualiter mortalibus à Deo concessum sit, quam rationis usus, patet non excusari posse eorum socordiam, qui supina negligentia aut contemptu sibi met ipsis foedam hanc & perniciosam ignorantiam asciverunt. (a) Sed inquit *Spinosa*, statum Naturæ spectari, quatenus homo cupiditati suæ Naturali, non vero rationi obtem-

(E) §

perat.

(a) Add. infra Cap. III. §. 12.

perat. Respondeo, ad Naturam hominis, tanquam dotem præcipuam pertinere rationem, quæ propter nisi in brutorum conditionem homo debeat redigi, necessum omnino est, ut in statu etiam Naturæ præluens rationis Lumen ipsi concedatur. Quanquam ne homini quidem, quatenus cupiditati suæ solum obtemperat, concedi potest libertas negandi, Deo deberi obedientiam, aut ipsi licere omnia, quæ rationi repugnans cupiditas inspiraverit. Tametsi enim cupiditas ignorat Deum & quicquid idem ab homine efflagitat; negare tamen statim non potest, quæ ignorat. Hinc si à quoquam in melius informetur, justum est, ut dictis pareat & cupiditatem suam ad rationis normam componat. Quod si vero ratione imbutus est homo, potest omnino & tenetur rationem potius, quam cupiditates cæcas sequi. Hoc si facere neglexit, non ideo tamen jus Deo in hominem quæsitum peribit, quod obediendum divinæ Majestati esse homini dicitur. Valde enim absolum est, concedere, hominem in statu Naturæ esse Creaturam à Deo dependentem, quæ nec se condere, nec se conservare potuit, negare autem Deo Conditori & vitæ Moderatori obedientiam.

§. IX. Ex quo facile perspicitur, quid ad secundam §. VII. Objectionem respondendum sit, quod nimirum *status Naturalis absque lege & peccato concipi debeat.* Negandum enim & hoc est. Nam in statu Naturæ lumen rationis, quod §. præceden-

cedente homini vindicavimus, legem dat, quod Deus sit colendus ipsique obtemperandum, (*per Cap. I. Coroll. Def. 15. 16.*) Igitur qui officium lege Naturali sibi præsriptum non observat, peccat, (*per Prop. 11. Cap. I.*) id quod improbissimi quique negare non possunt, qui interdum acerrimos conscientiae stimulos experiuntur, quibus frustra angorentur, nisi legem sibi positam fuisse agnoscerent, quam contra Naturæ ductum & rationis dictamen peccando transilierunt. Parum autem roboris habet, quod probationis loco additur, Religionem Revelatam demum docere per legem peccatum. Hoc enim si exclusive intelligatur, eo sensu, quasi *sola* Religio Revelata ostendat per legem peccatum, itidem falsum est, licet concedi possit, Religionem Naturalem non adeo plene atque perfecte peccatum ostendere, ejusque radices & originem investigare, quam Religio Revelata. Id quod decepisse *Spinosam* videtur, cum *Paulum* suæ sententiæ faventem citat. Verborum enim Epist. ad Rom. cap. V, 13. & VII, 7. non ea mens est, ac si ante Revelationem supernaturalem nullum plane committi peccatum potuisset contra legem Naturalem. Quod exinde patet, quia eodem commate 13. hujus V. cap. Apostolus præmittit, *usque ad legem peccatum erat in mundo*, h. e. peccatum in statu Naturali revera committebatur, usque ad legem divinam expressam, quod effectus peccati nimirum mors ostendit v. 12. & 14.

inte-

interim peccatum ἢ ἄλλογενῆται non esse putabatur, non existente lege, (quemadmodum Beza vertit) i. e. homines non adeo profunde per rationem cognoscentes peccati labem, existimabant, ejus foeditatem non adeo magnam esse, sed veluti non existentem judicabant. Verba igitur per comparationem ad revelatam & sublimiorem cognitionem intelligenda sunt, Quod enim gentiles in statu Naturæ aliquando peccatum cognoverint, ex Cap. II, 15. hujus Epistolæ patet, ubi dicitur, *opus legis scriptum esse in cordibus ipsorum, testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus se mutuo excusantibus aut etiam defendentibus.* Commate vero antecedente 12. dicitur, *quicumque sine lege (externa sive scripta) peccaverunt, sine lege quoque (exterius lata aut scripta) peribunt.* Idem propemodum sensus est cap. VII, 7. Peccatum enim Apostolus non cognoscebat (*perfecte*) sine lege (*ex Revelatione lata aut scripta*), & ipsam cupiditatem (*non accedente consensu*) non noscebat (*perfecte ex Natura*) peccatum esse, nisi lex dixisset, non concupisces. Quod enim Ethnici, quibus quoad notitiam Paulus ante conversionem non erat deterior, concupiscentiam pravam naturalem aliquo modo vitiosam esse cognoverint, ex plurimis ipsorum scriptis, imprimis autem Seneca & Epicteti testimoniis patet, qui posterior Philosophiæ suæ fundamentum unum substernebat ἀπέχεσθαι ἀπὸ πλείων ἀσέλγεια, h. e. cognosce te multa prave con-

concupiscere. Cæterum *Spinosa* confundit h. l. Revelationem naturalem cum supernaturali. Posterioriorem negat *Paulus* adfuisse gentilibus, cum inquit, legem non habuisse, intellige legem ex *supernaturali revelatione* provectam. Priorem autem omnino Ethnicis concedit, quia idem dicit, legem (per Revelationem aut *manifestationem naturalem*) scriptam esse in cordibus ipsorum. Adeoque patet, tantum abesse, ut *Paulus* assentiat, tur *Spinosæ*, ut potius eidem maxime advesetur.

§. X. Pergimus ad *tertium* argumentum §. VII, à *Spinosa* nobis oppositum. Existimat *super-
vacuum esse, quod Deus contractum ineat cum hominibus, eosque pacto & juramento sibi obstringat, si jam antea ejus imperio ex natura forent obnoxii.* Respondetur. Quod Deus novum foedus in statu Gratiæ cum hominibus ineat, haud inviti largimur. Exinde autem minime concludi potest, pacta & foedera naturalia inter Deum & homines non antecessisse. Imo potius quodammodo hoc necessarium esse conspicitur. Quod ut evidentius appareat, scire convenit, pactorum naturam ex fine & causa impulsiva imprimis æstimanda esse. Si enim Princeps cum nobili foemina pacta matrimonialia ineat, ut eam sibi, quoad cohabitationem conjugalem, reddat obnoxiam, non ideo statim colligere licet, Principem cum eadem foemina, nulla alia pacta antecedentia contraxisse, uti sunt, de fide sibi in re arcana servanda, de amicitia, aut
si po-

si potens fuerit de auxilio præstando, similibusque, vel etiam de rebus, quæ pacto matrimoniali posteriori aliquo modo subordinantur, ut sunt: de concubinato, aut educandis liberis naturalibus ex se quæsitis. Jam Deus duplici ratione aut fine cum homine pactum inicit. *Primum* est pactum *naturale*, ut ipsi obediat in omnibus, quæ homini lumine rationis de voluntate Dei patefiunt. *Secundum* est pactum aut foedus *Gratiae*, quo Deus hominem de novo obligat, ut ipsi obtemperet in omnibus, quæ per Revelationem supernaturalem ei manifestare volet. *Prius* pactum salutem hominis temporalem hujus vitæ intendit; *Posterius* salutem æternam, quæ post vitæ hujus perituræ finem obtineri plenissime potest, pro fine agnoscit. (A) Neque de nihilo aut sine ratione Deus hunc in modum cum hominibus agit, quod quidem Spinoza arbitratur. Uti enim diversus mortalium status est, ita etiam eorum capacitas. Quoniam vero in statu naturali, homines adhuc inepti sunt ad accipienda diviniore dogmata, per Revelationem supernaturalem, quemadmodum infantes inidonei sunt ad arcana rerum scrutanda: igitur Deus pro bonitate sua in genus humanum, leges naturales per revelationem naturalem ipsis innotescere facit, ut hisce ad sublimiora præparati, deinceps ad statum supernaturalem per foedus Gratiae ascen-

(A) Vid. Cap. I. §. 5. in fin.

ascendant. (a) Atque ab hoc statu supernaturali homines denominationem sortiuntur filiorum Dei per *Gratiam*: quemadmodum in statu naturali appellantur filii Dei per creationem sive *naturam*.

§. XI. Sequitur argumentum §. VII. *quartum*. *Vis naturale*, inquit *Spinoza*, *non ratione, sed potentia cujusvis determinatur*: Igitur nulla datur in statu Naturali Religio. Quoniam Religio originem ducit ex ratione, quam naturalis status non agnoscit. Multa in hac argumentatione sunt, quæ castigari oportet. *Primo* enim falso & absurde sibi opponuntur potentia & ratio. *Deinde* falsum est, quod status naturalis rationis imperium non agnoscat. *Tertio* consequentia plane invalida colligitur, quod nulla Religio sive obedientia adversus Deum in statu naturali detur, ex eo, quod status naturæ potentia uniuscujusque determinetur, cum tamen contraria sententia inde sequatur, uti mox ostendam. Dico igitur, (I) male sibi opponi rationem & potentiam. In omni enim imperio etiam potentissimo, nisi ratio adfuerit, omnia illico corruunt. Statui igitur naturæ, quoniam sola potentia consistere nequit, rationis dictamina semper consulenda sunt, ni perire velit. Inde factum, ut homines statum belli, qui ex sola potentia oritur, sibi exitiosum videntes, ex rationis dictamine pacem atque divisa rerum dominia præ-

(a) Conf. Cap. I. §. 4. Prop. 24. & Coll. Prop. 35.

prætulerint, quod ex *Hobbesio* ostendit *Pufendorff*.
 (a) Adeoque Status Naturalis non sola potentia,
 sed etiam ratione determinatur. Unde patet, (II.)
 à veritate recedere sententiam, quod status natu-
 ralis rationem non agnoscat. *Confer.* §. IX. Quo-
 niam enim status naturalis hominum distinguitur
 à statu naturali brutorum, evidens est, hominum
 naturam per nihil aliud, quam per hoc à brutis di-
 stingui, quod bruta omnem rationem aspersionem,
 cum contra homines rationis dictamen audire
 possint, & propter eminentiam naturæ suæ sequi
 debeant, nisi velint se brutis plane exæquari, quod
 absurdum foret. (III.) Dixi, nulla consequentia
 obtineri posse, si status naturæ determinatur sola
 potentia, quod nulla detur Religio. Contrarium
 enim inde sequi, hoc modo ostenditur. Quoniam
 in statu naturali sola potentia omnia geruntur, (ex
 hypothese *Spinosæ*) ut minus potens potentiori
 obediat, consequitur dari in statu naturæ Religio-
 nem sive obedientiam adversus Deum. Deus
 enim omnium est potentissimus, qui reliquos
 omnes sibi obnoxios reddere potest. (*per Cap. I.*
Prop. 15.) Quod argumentum *Spinosæ* recusare
 eo minus potest, quia sententiarum suarum non
 inimicus *Hobbesius*, vi hypotheseos à *Spinosæ* con-
 cessæ, omnem cultum & Religionem ex omnipo-
 tentia divina demonstrare instituit. (b)

§. XII.

(a) J.N. & G. Lib. 4. Cap. 4. §. 6. (b) De Civ. 15. §. 5. & 7.

§. XII. Superest *ultimum* §. VII. nobis obiectum argumentum, & quod superioribus omnibus robore præstare videtur. Ita enim noster colligit: *Non omnes tenentur secundum rectæ rationis leges vivere, uti sunt infantes, fatui, & qui rationis usu destituuntur.* Omnes tamen se & vitam suam conservare tenentur. Igitur hi secundum appetitum & cupiditatem suam tantum vivant, non autem secundum rationem. Qui autem secundum rationem non vivunt, nullam habent Religionem N. Quoniam Religio Naturalis rationis præcipua pars est. In hac argumentatione Spinoza præcipuum sententiæ suæ præsidium collocat, uti ex §. IV. liquet, existimans nimirum (a) quod quemadmodum pisces majores natura determinati sunt ad devorandos minores: Ita homines jus summum habere ad omne illud, ad quod se ejus potentia naturalis extendit, idque nulla alterius, sed sui tantum habita ratione, ut se, quo tandem id modo fiat, conservent & operentur, quoniam potentia hominis est potentia Dei, qui habet jus ad omnia. Argumentatio hæc, licet speciosa sit, tot tamen vitiis falsisque ratiocinationibus scatet, ut difficile propemodum sit, enumerationem errorum commissorum instituere. Quod maxime contigisse *Spinozæ* puto, quia minus plene atque ambigue rem proposuit & explicavit. Nos quædam & præcipua tantum errata sigillatim

(F)

recen-

(a) Tract. Th. Pol. p. 174.

recensebimus, & deinceps nervum argumentationis incidemus.

§. XIII. Dicit: (1) *Non omnes tenentur secundum rationem vivere.* Hoc ambigue profertur. Intelliguntur enim per non omnes *vel illi*, quibus rationis usus jam obtigit, & hi omnes tenentur rationis dictamen jure naturali observare. Alias enim frustra ipsis præcipuum hoc donum, quod ipsos à brutis distinguit, contigisset. *Aut* intelliguntur per non omnes *illi*, quibus per naturæ imbecillitatem aut fortunæ casum nondum est concessum, ut recto rationis judicio uti possint, quales sunt infantes, fatui, ignari similesque. Et hi non quidem tenentur secundum rationem vivere, quia nullam in præsentem habent; tenentur tamen rationis legem à sapientioribus ipsis propositam sequi, ne sibi damno, aliis exitio sint. Et Sapientiores tenentur jure Naturæ eos instruere ac erudire, non ut hos sibi subjiciant, aut servos sibi faciant, sed ut ad rationis usum & vitam sibi, h. e. creaturæ rationali, conformem agendam perducantur & hominibus i. e. Creaturis ratione præditis quam fiant simillimi. Hanc jure civili Pupillis & Minoribus, qui per ætatem se defendere non possunt, Tutores & Curatores dantur. (2) Jure etiam Naturali, infantes & liberi imperio parentum aut superiorum subsunt, ut eos secundum rationem moderentur, & liberos homines, quod per sapi-

enti-

(1) De Tutel. §. 1. Inst.

entiam & cultum rationis contingit, ex eis efficiant. Est enim ignorantia & stultitia origo servitutis.

§. XIV. Dicit: (II) *Omnes, licet rationis usu destituantur, se conservare tenentur in statu suo.* Non enim occidere licet minorem natu, furiosum aut phrenesi correptum. Respondetur. Hæc itidem ambigue proponuntur. Conservare se tenentur istiusmodi homines, quoad ea, quibus vita ipsorum ad sustentationem indigent, ita nec stulto nec furioso adimendus est cibus aut vestitus. Sed se non conservare tenentur, uti Spinoza intelligit, in statu stultitiæ & furore suo, sed tenentur, quantum possunt, se quamprimum ab insania liberare, & bonam mentem induere, quia ad naturam rationalem, non brutorum conditionem formati sunt. Quodsi enim furiosus insaniam suam & in phrenesi se conservare teneretur, peccarent saniores, qui vinculis furiosos constringunt. Ipse furiosus, sanitati mentis restitutus peccaret, agnoscendo beneficium, quod ipsi, dum fureret, contigit per eos, qui furori suo frena injecerunt. Hæc autem cum sint oppidè absurda, patet confudisse Spinosam multiplicem conservationis suæ acceptionem, quæ ad ea minime extendi debet, quæ luci rationis opponuntur, adeoque stulti conservabunt quidem Naturam suam, minime vero Naturam stultam aut furiosam.

§. XV. Dicit: (III) *Vitam itaque agent istius-*

modi homines fatui, dementes, ignari &c. secundum appetitum & ipsorum cupiditates. Hæc in quantum admitti possint, patet ex §. præcedenti. Nimirum infantes, fatui, dementes, ignari similesque, vivent secundum appetitum & cupiditatem, ad eorum conservationem necessariam, & hæcenus nemo ipsorum appetitum & cupiditatem, sicut nec appetitum & cupiditatem in sapientissimo, improbabat, aut ipsis eum eripere tentabit. Verum quatenus infantis, furiosi, dementis, aut ignari appetitus & cupiditas lædit vel propriam furiosi naturam, vel aliis damnum infert, tunc omnino non vivent i. e. non vivere ipsis ab intelligentibus permittetur, nec permitti potest, ut cupiditates & appetitum suum contra rationem expleat, idque ex nulla alia ratione, quam quia à Deo ad Naturam rationalem determinati & formati sunt. In brutis enim nunquam vitio vertitur catulo leonis, quod crudele sit & immitte animal, quia ultra bruti sortem ad rationem assurgere non potest. Principis autem filius crudelitate & feritate morum sibi aversionem & odium, iis autem, qui ipsum moderari debuissent, exprobrationem stultæ negligentæ conciliat, & cur? quia ad naturam rationalem à Deo conditus est Principis filius; Leo autem ad appetitus sui & cupiditatis ferinæ obedientiam explendam.

§. XVI. Quare (IV.) graviter peccavit *Spinosa*, cum duas res naturæ dissimillimas, instituta com-

para-

paratione conjunxit, dum ait: *Uti piscis major ad devorandum minorem natura jure natus est: Ita homo ad omnia ea, ad qua cupiditas eum impellit, exequenda, si potentia fulciatur, summum jus habet.* Non vidit profecto Spinoza, hominem esse animal, cui ex instituto rationis vivendum sit, quia ratio eum à bestiis destinguit; piscem vero esse brutum, cujus cupiditas ipsi summa lex est. Sed tum demum valebit comparatio, si prius demonstratum fuerit, hominem in statu naturæ manere hominem, i. e. animal ratione à Deo donatum, & per hoc differre à bestiis, etiamsi rationis facultas ipsi fuerit adempta, ne ulla alia, nisi cupiditatis irrationalis lege, vivere teneatur.

§. XVII. Nihil autem proficit argumento, quo sententiam suam probare nititur *Spinoza*, scilicet *quia potentia hominis est ipsius Dei potentia, quare hominem habere, colligit, jus ad omnia, ad quæ ejus potentia se extendit, quemadmodum Deus ipse.* Nam (V.) etiam hoc ambigue dicitur, quod potentia hominis sit ipsius Dei potentia. Vel enim sic intelligit dictum, ut idem sit, quam quod homo acceperit suam potentiam ab ipsius Dei potentia, tanquam à causa præcipua. Atque hoc quidem sensu admitti illud potest, sed nihil inde concludere ipsi licebit. Ostendendum enim Spinozæ adhuc erat, *potentiam Dei sine ratione & sapientia consistere, atque ab ea separari posse; alias hoc tantum sequeretur; Quia homo accepit potentiam ra-*

tionalem & cum sapientia conjunctam à Deo, quemadmodum ea in Deo ipso est, ergo homini potentia sua uti licitum est, quatenus potentia rationem & sapientiam ducem habet. Quia talis potentia cum ratione conjuncta, & non alia in Deo est. Quod si autem Spinoza vult hominem esse particulam divinitatis, adeoque essentialem Dei potentiam, nego hanc assertionem. Quia homo distinctum & separatum à Deo ens aut substantia est, quæ à Deo quidem creata, aut, si mavis, genita fuit, sed quæ per creationem propriam sortita est subsistentiam, & qua valde abutitur, si solam cupiditatem potentia, remota ratione, sequitur, quia deficit à prima origine sua nimirum Deo, in quo potentia nunquam se jungitur à sapientia & bonitate. Et licet concedatur, potentiam Dei esse ipsius hominis potentiam; nihil tamen inde obtinebitur. Quia Dei potentia ad omnia nunquam sine summa sapientia & bonitate sese exerit. Ergo idem homini, qui eadem potentia gaudet, faciendum est.

§. XIIX. Dicit, (VI.) *Homini ad omne id, ad quod cupiditate sua impellitur, summum jus esse, habita solum sui, nullius autem præter se ratione.* Hæc quam vera sint, ex superioribus intelligitur. Si enim homini secundum rationem jure connato & naturali vivendum est: (per Prop. 11. Cap. I.) Ratio autem dicitur, nullius jura lædenda esse, (per Prop. 29.) quatenus legibus sanciantur: consequitur tam nostri quam alterius rationem habendam esse.

esse. Accedit quod universis hominibus naturæ contigerit æqualitas. Unde si nos alterius juris quæsitæ rationem nullam habere voluerimus, nec alter nostri juris rationem magnopere est habiturus, ex eo perpetuum bellum, odia, deprædationes & cædes mutuz orientur, quæ impune adversus quemcunque expromi poterunt. A quo tamen & Natura & ratio vehementer abhorret, quoniam hoc vitæ genus utriusque interitum accelerat, adeoque jus tale à natura institutum dici non potest. Quia jus naturale conservationem naturæ ejusque utilitatem, non autem destructionem intendit, quæ non potest non expectari, si solius cupiditatis nostræ, nullam autem alterius salutis, rationem habeamus.

§. XIX. Quibus observatis, haud difficulter intelligitur, argumentum Spinosianum, quod §. XII. nobis opponebatur, concludendi nervis destitui. Non enim sequitur, *omnes tenentur se conservare;* (intellige, quatenus natura illud exigit & sana permittit ratio per §. 14.) *Neque tamen omnes tenentur vivere secundum rationem;* (non quidem suam, quam non habent, sed tamen tenentur vivere secundum rationem & præcepta aliorum se sapientiorum per §. 13.) *Ergo vivent secundum cupiditatem & appetitum* (& non ratione quidem moderatum, hoc enim ipsis licet per §. 15. sed) *brutum, omniaque crimina & flagitia impune perpetrabunt.* Plane non sequitur; sed contrarium validissime.

(F) 4

hunc

hunc in modum colligitur: *Omnes tenentur se conservare: (secundum rationem & modum homini rationali proprium vid. §. 14.) Et omnes tenentur vivere secundum rationem (si non suam, cujus usum forte nondum adepti sunt, tamen secundum præcepta Sapientiorum, ut homines i. e. creaturæ rationales & liberæ evadant vid. §. 13.) Ergo vivent non secundum cupiditates & appetitum brutum, sed secundum appetitum rationi subiectum, & ad solam tantum conservationem suam necessarium per §. 15. Adeoque nulla ipsis flagitia aut crimina perpetrare impune licebit.*

§. XX. Excipiet forte *Spinoza*, fatali omnia necessitate agi, adeoque quemlibet ad certum operandi modum determinatum esse. Verum huic exceptioni breviter satisfaciet *Cap. I. Prop. 18. & Coroll. 1.* Nimirum demonstravimus eo in loco, quod Deus de rebus universis libere, uti ipsi placet, disponat. Cujus rei fundamentum in subjecta demonstratione paucis adduximus. Quia Deus omnium est *potentissimus & sapientissimus*, quæ duæ perfectiones fundamentum genuinum libertatis sunt, uti alio loco plenius ostendemus. Libertatis enim conceptus negativus in eo consistit, ut is, qui libertate gaudet, non impediatur opposito robore corporis, aut rationum obstantium pondere, desideria aut institutum suum, quod meditatur, quemadmodum placet, exequi, sive uti

Impe-

Imperator (A) loquitur, quando quis nec vi aut jure prohibetur. Positivus vero libertatis conceptus in eo statuendus est, *quando quis cæteris robore & sapientia est superior*, adeoque à nẽmine coerceri, verum omnes animæ, corporis, & rerum externarum potentias eo flectere, & per consequens, ea agere potest, quæ ipse voluerit. Utriusque autem, cum negativi, tum positivi conceptus libertatis fundamentum esse potentiam & sapientiam, haud difficulter intelligitur. Homo enim constat animo & corpore. Corporis libertas impeditur robore & viribus externis. Quodsi enim mens voluerit transferre corpus suum, aut res corporeas in civitatem aliquam, quam is ingredi prohibitus est, impedire aliter non potest corpus, quin utatur libertate hac, quam oppositis rebus materialibus, v. g. valvis, hominum corporibus robustioribus &c. Animi libertas impeditur oppositis rationibus. Hæ enim eodem modo mentis refrænant libertatem agendi, quam vincula libertatem corporis ambulandi. Et hæc est ratio, cur homines, qui alteri ex promisso aut simili quodam juris vinculo obligantur, etiamsi corpore liberi sunt, atque aufugere possunt, ipsorum tamen reclus intellectus, aut uti vulgo appellatur, conscientia non permittat, ut invito & reluctante eo, cui ex justis causis obstricti sunt, sui juris, & in libertatem, quam expetunt, evadant. Jam vero Deus est

(F) 5

omni-

(A) §. 4. ff. de statu hom. & I. §. I. de Jur. person.

omnium *potentissimus*, quem nulla vis coercere, & omnium *sapientissimus*, quem nulla ratio aut prudentia superare potest. Ergo est liberrimus, & nullo fato obnoxius. Homines, quoniam conditi sunt ad imaginem divinitatis, quatenus eam servant, aut ad eam recuperandam conantur, ea ratione dici non possunt necessario aut ex fato agere. Quia ex divinae imaginis, sapientiae, & rationis ductu agunt, adeoque divina virtute pollentes fatum superant. Quanto enim quisque majori pollet sapientia & robore, tanto magis liber, & minus fato est obnoxius. Fatum enim nullos alios habet servos, quam stultos, ignaros & fatuos. Quoniam vero materia de libertate hominis & fatali necessitate, ardua res est, quae peculiarem & exquisitam tractationem postulat, non inutilis forte opera impenderetur, si peculiari studio omnes circa hanc rem difficultates excuterentur. Libertate enim & Necessitate ex principiis clavis demonstrata, facile doinceps pateret, quibus in rebus & quatenus homini libertas vel concedenda vel neganda sit. Sed nimium in refutando errore junico proveci sumus, jam tempus & institutum nostrum postulat, ut ad *Hobbesum* deveniamus.

☉ (o) ☉




Caput III.

Quo confutantur Errores Hobbefiani in Religionis Naturalis negotio.

SUMMARIA.

Hobbefius, fecundum alios, Atheus. §. 1.	Ad exceptionem primam. §. 11.
Secundum alios, Naturalista. §. 2.	Ad exceptionem fecundam. §. 12.
Ingenio & eruditione clarus. §. 3.	<i>Tertius</i> error, quod Deus innocentiffimum jure affligere & occidere poffit. §. 13.
<i>Primus</i> Hobbefii error, quod nihil de Deo concipere poffimus. §. 4.	Probatur contrarium. §. 14.
Formatur Status controversæ. §. 5.	Resp. ad rationem Hobbefii. §. 15.
Respondetur ad primam objectionem. §. 6.	Resp. ad testimonium Scripturæ ex Jobo. cap. 38. §. 16.
Resp. ad fecundam objectionem. §. 7.	Resp. ad dictum Scripturæ, ex Johan. cap. IX. v. 3. §. 17.
Resp. ad tertiam objectionem. §. 8.	<i>Quartus</i> error, quod non dicendum fit, hoc vel illud non confiftere cum Dei iuftitia. §. 18.
<i>Secundus</i> error, quod Atheus proprie non peccet in Deum. §. 9.	Resp. ad Objectionem. §. 19.
Respondetur ad Objectionem. §. 10.	

§. I.



HOMASHOBBESIUS, Mamelsburiensis in Anglia Philosophus, varia Eruditorum diversaque de se expertus est judicia. Sunt, qui quoad Religionis negotium, inter Atheos nostrum esse disponendum censent. A quorum sententia non abludit, celeberrimus dum viveret, in hac Academia Theologus Joh. Benedictus Carpzovius, qui (a) Hobbesium discrete appellat *Atheismi per Angliam propagatorem*,

§. II. His mitiora sunt, quæ de Hobbesio, (b) prodidit clarissimus Polyhistor & Theologus Joh. Christoph. Becmanus. Cujus de eo judicium conceptis verbis h. l. afferendum est. Hunc autem in modum, post quædam elogia de eo pronunciat: *In aliis scriptis, quæ publicavit, itidem eo nomine laudandus est, quod de primis Principiis moralibus, licet haud perinde vulgo notis, res suas eruere conetur. Sed rursus etiam culpandus, quod sacra ad conceptus suos trahat, cum hos ad sacra pertrahere indeque perficere debuisset.* Profani

1A.

(a) Orat. qua anno 1684. munus Professorium in Theol. est auspicatus, & qua Rich. Simonis Criticam S. perstrinxit, p. 31. Add. Kortholtus de Tribus Impost. Herberto, Spinoza, Hobbesio sect. 2. §. 5. seq. (b) Parall. Polit. Cap. I. §. 5. p. 418.

tamen, qui videntur apud eum occurrere, loquendi modi non possunt plenum Atheismum inferre. Nunquam enim, qui rebus moralibus mediocriter incumbit, Atheus esse potest, tanto minus Hobbesius, qui ad prima usque principia moralium progredi conatus est. Quod vero maxime sapere videtur, id vel securitatem dixeris, vel Naturalismum quendam, ut Deum quidem colat, sed modum colendi à S. codice derivandum esse, non necessarium agnoscat. Esse hunc animum ejus, ex eo patet, quod superius diximus, ipsum sacra ad conceptus suos morales trahere, cum è contrario moralia, quae habemus, aut etiam invenire possumus, è sacris peti debeant, quippe quae clarius rem exprimunt, quam sine ipsis exprimi potest. Accidit hic ipsi, quod Chymicorum multis aliisque rerum naturalium scrutatoribus, qui dum in causis secundis indagandis nimii sunt, eis ita alligantur, ut ulterius atque ad Deum usque pergere non opus esse judicent, unde similiter in Naturalismum incidunt. Brevius. Hobbesius principia vitae socialis vere explicat, sed male applicat. Unde omnis illa in doctrina ejus perversitas, quam tamen Christiano vitandam esse, merito cum piis probisque omnibus pronuntiaveris.

§. III. Interim universo doctorum consensu, præclara ingenii vis & eruditio haud proletaria Hobbesio conceditur. Quod sapientissimus Magnæ Britanniae Rex, ut alios omittamus, Samuelis Sorbierio testatus est aliquando, comparans nostrum

strum cum urso, quo uteretur ad molossorum vires tentandas aut acuendas. Neque tamen ita ingenii perspicacia semper uti potuit, quin passim à vero aberraverit, quod in Juris naturalis disciplina *Richardus Cumberland*, (a) *Puffendorffius* (b) aliique, uti *Job. Bramhallus*, *Robert Felmer*, *Rob. Scharrockius*, *Gisb. Cocquius*, *J. Schafftus*, *Strimesius*, *Copius*, *Rachelius*, *Osiander*, *Parkerus*, ostenderunt. Nos ea hoc loco perstringemus, quæ ad argumentum nostrum inprimis pertinent, strictim id quidem & quantum fieri potest, brevissime.

§. IV. Primum, quod in *Hobbessio* à nobis desiderari jure potest, illud est, quod (c) confirmare nititur, quod Deus nulla à nobis animi nostri facultate concipi, aut ut accuratius dicam, percipi possit. Ut ejus pateat sententia, ad verbum eam recitabimus. Inquit loco mox adducto: *Neque dicetur Deus concipi, vel comprehendendi imaginatione, vel quacunque facultate animi nostri. Quicquid enim concipimus, finitum est. Et quanquam vox hac infinitum significet conceptum animi, non tamen sequitur, conceptum nobis esse rei infinita. Quando enim dicimus aliquid esse infinitum, non aliquid in re significamus, sed impotentiam in animo nostro, tanquam si diceremus, nescire nos, an & ubi*
ter-

(a) *Disquis. de Legibus Nat.* (b) *Magno opere de J. N. & G. sparsim.* (c) *Element. Philos. de Civ. Cap. 15*
§. 14

terminetur. Neque dici de Deo honorifice, quod idea ejus animo nostro insit. Idea enim conceptus noster est, conceptus autem nisi finiti non est. Quoniam vero pro Hobbesio ex §. 12. Cap. III. excipi potest, Deum lumine Naturali sciri posse, concedere Hobbesium, (a) adeoque etiam conceptum de Deo. Hinc ut pateat, non constare sibi Hobbesium, addimus locum ex Leviathane, (b) ubi expresse ideam aut perceptionem de Deo negat: *Quicquid imaginarium, illud finitum est. Nulla ergo est idea neque conceptus, qui oriri potest à voce hac infinitum. Animus humanus imaginem infinita magnitudinis capere non potest, neque concipere infinitam velocitatem, infinitam vim, infinitum tempus, aut infinitam potentiam. Itaque nomen Dei non usurpatur, ut illum concipiamus, (est enim incomprehensibilis ejus magnitudo, potentiaque ejus inconceptibilis) sed ut honoremus. Et quoniam, quicquid (ut supra diximus) concipimus, perceptum est antea in sensatione, nulla inesse homini potest imaginatio rei, que non sit percipienda sensibus. Nemo itaque aliquid concipere potest, nisi in loco, & infinita aliqua magnitudine præditum & divisibile in partes; neque aliquid esse totum in uno loco, & totum in altero tempore*

pore

(a) Lib. de Civ. p. 139. (b) p. 12. edit. in 4to. Cap. III. quod de consequentiis sive serie imaginationis inscribitur.

pore eodem, neque duas vel plures res eodem tempore esse posse in eodem loco. Nihil enim horum fuere aut esse potuere in sensone, sed sunt orationes insignificantes, admissæ propter auctoritatem Philosophorum errantium, vel Scholasticorum fallentium. (a)

§. V. Quod animis nostris sensus de Deo, & perceptio aliqua de perfectionibus diviniior insit, (Cap. I. Prop. 19. Coroll.) à nobis demonstratum est: superest tantum, ut omnis dubitationis amovendæ gratia, argumentis *Hobbessianis* respondeamus. Concedimus autem, Deum divinasque perfectiones, quia infinitæ sunt, à nobis *plene & perfecte* animo comprehendi non posse. Sed exinde perperam *Hobbessius* concludit, quod Deus concipi quacunque animi facultate nequeat, sive, quod idem est, Deum divinasque perfectiones in animo hominis plane percipi non posse. Idea enim est immediata perceptio illa, per quam de re aut objecto cogitatione certi sumus. Ita enim vulgo definiunt ideam Philosophi. *Vide Cartesii rationes, quibus geometricè existentiam Dei & animi à corpore separationem probavit. (b)*

§. VI.

(a) Conf. de Homine Cap. XII. quod de Religione inscribitur, p. 56. ubi docet, *Spiritus vocari corpora tenuissima.* (b) Medit. post obj. secund. defin. 2. opp. p. m. 74. & Ant. le Grand Instit. Phil. Part. XI. Art. 2. §. 1. p. 86. edit. Lond.

§. VI. Audiamus igitur rationes *Hobbessii*. Primo inquit, *quicquid concipimus, finitum est. Deus autem est infinitus. E. non concipi, aut accuratius loquendo, non percipi potest.* Respondeo. Quicquid plene & perfecte concipimus, ita ut nihil amplius in objecto ignoremus, finitum est. Largimur propositionem; sed negavimus §. 5. Deum plene & perfecte concipi à quoquam posse, adeoque nobis non contradicitur. Quod si autem *Hobbessius* putat, quod omne illud sit finitum, quod quoquo modo concipimus sive, ut clarius dicam, cujus objecti existentiam mente nostra percipimus, & quod aliqua ratione sentimus, hoc sensu negamus propositionem. Quoniam ad perceptionem objecti nihil facit objecti amplitudo & infinitas, sed ejus existentia & realis perfectio, quæ mentem percipientis ferit. Quanto majoribus igitur perfectionibus & quanto pluribus (liceat sic loqui) realitatibus objectum pollet, eo melius à mente percipi potest, quoniam tale objectum efficacius perceptioni mentis se ingerit. Uti sol validius se oculis ingerit, adeoque etiam certius & clarius percipitur quam candela, quia majoribus lucendi viribus & perfectionibus donatus est sol, quam candela. Ita objectum infinitum multo luculentius & certius à mente recte disposita percipi potest, quam objectum finitum. Quia prius infinitis

(G)

nitis

nitis perfectionibus, quæ percipi possunt; posterius aliquibus tantum percipiendi viribus pollet. Jam Deus est objectum infinitum perfectionibus maximis illustre. (a) Quapropter Deus etiam à nobis percipi potest.

§. VII. Pergit *Hobbefius* arguendo: *Quando dico, Deum esse infinitum, impotentiam in animo meo significo, tanquam si dicerem, nescire me, an & ubi Deus terminetur.* Adeoque percipi non potest. Ad hæc respondendum est: Quando dico, Deum esse infinitum, noto tantum impotentiam in animo, quod Deum plenissime concipere non possim, non autem, quod nihil omnino de Deo possim cognoscere. Hoc si foret, Deus ne infinitus quidem dici posset. Infinitum enim, sicut etiam inexhaustum illud appellamus, quod cognovimus aut aliquo modo percepimus, perfectionibus pollere, sed quæ tam amplæ sunt, ut nostra cognitio non sit sufficiens ad complectendam aut exhauriendam rei hujus aliquantisper cognitæ, præstantiam. Quam autem rem plane non cognosco, hanc dico me ignorare, non autem dicere possum, eam esse infinitam aut inexhaustam. Licet itaque concedi possit, quod, cum dicimus Deum esse infinitum, notemus, nescire nos, an & ubi Deus

ter-

(a) Conf. Cap. I. Prop. 13. ut & Prop. 19.

terminetur; hoc tamen non obstante, necessum est, nos aliqua perceptione jam de Deo fuisse imbutos, alioqui dicendum potius esset, nos perfectiones divinas ignorare, quam scire, eas esse infinitas.

§. IIX. Negat deinde *Hobbesius*, Ideam Dei nobis inesse, quia idea est conceptus noster, conceptus autem nisi finiti non est. Quæ ratio admodum infirma est. Quod Idea sit conceptus noster de re quadam formatus, concedimus. Atque *Job. Lockius* quidem (a) vocem hanc ideam usurpat, ad omnia illa exprimenda, quæ per *phantasma*, *notionem*, *speciem*, aut quocunque alio nomine venit, quod intellectui præsens est, quando cogitamus. Sed quod addit, conceptus non nisi finiti est, duplicem sensum habet. Intelligitur enim vel conceptus *perfectissimus*, qui ipsam rei naturam plane exhaurit, vel conceptus aliquis *imperfectior*, qui habetur de re certa, sed ex parte tantum & minus plene cognita. Quodsi conceptum perfectissimum intelligit *Hobbesius*, affirmamus finiti nullum esse conceptum, scilicet perfectissimum. Sin autem conceptum aut perceptionem certam quidem, imperfectam tamen & minus plenam intelligit, negamus, quod de re infinita nullum

(G) 2

con-

(a) Introd. de intell. hum. §. 8. l. 2. c. 1. §. 1. & c. 8. §. 8.

conceptum ne minus plenum quidem habere possimus. Sunt enim conceptus nostri & perceptiones de rebus etiam finitis, plerumque minus pleni, quibus tamen nemo veritatem aut certitudinem negat. Neque existimo Hobbesium concessurum, *Elementa sua philosophica* aut *Leviathanem* cum reliquis abs se editis scriptis, ex sua sententia minus vera aut certa esse, ideo, quia nemo ea perfectissima pronunciavit, quod ne ipse quidem Auctor (a) affirmare voluit, quia secundum ipsius sententiam (b) nemo sit, quin ratiocinando falli possit, nihil autem tam sit catholicum, quam errare. (c)

§. IX. Illud porro inter errata Hobbesiana merito retuleris, quod Atheum dicat, peccatum injustitiæ non committere, sed imprudenter tantum agere, si Deum non existere putet. (d) Athei vero causam l. c. hunc in modum agit: *Dicit Atheus, se voluntatem suam Dei voluntati nunquam subjecisse, ut quem ne esse quidem opinatus fuerit. Et quanquam opinio sua erronea esset, ideoque peccatum, numerandum tamen esse inter peccata imprudentiæ sive ignorantia, quæ puniri jure non possunt.* Haud dissimilia sunt, quæ in re

(a) Præf. Leviath. & Lib. contra factum Profess. Geometrix. (b) De Civ. c. 15. §. 17. (c) Præf. Lib. de Princip. & ratione Geometrarum. (d) Civ. Cap. 14. §. 19.

re simili habet *Spinosa*. (a) Subjicit autem paulo post Hobbefius de suo, quod omnino Atheismus referri debeat ad peccata imprudentiæ, non injuftitiæ. (b) Maximum vero fuæ fententiæ robur in eo collocat, quod Atheus fe nunquam Deo fubjecerit, hinc nec legem agnofcat, nec ob eandem rationem peccare poffit. Eum interim puniendum effe, non ut fubditum & civem, fed tanquam hoftem Dei & perduellem.

§. X. Hujus Sententiæ pofteriora verba citra dubium argumentis Adverfariorum extorta, oftendunt, quod pofteriores cogitationes prioribus, hoc in paffu apud Hobbefium fuerint meliores, & in tantum laudanda fint, in quantum concedunt, Atheum in foro divino non poffe excufari. Quanquam non apparet, quomodo Atheus tanquam hoftis Dei & perduellis puniri poffit, fi in hoftem Deum non peccaffet. Imo ne Atheus quidem hoftis recte à Deo haberi meretur, fi in eundem non peccavit. Quodfi autem tantum peccatum imprudentiæ in Deum commiffit, non ideo Atheus impudenter peccans, tam fevere uti hofti & perduellis erit puniendus, fed tantum caftigandus erit uti infans, & tanquam per erroris imprudentiam aberrans,

(G) 3

in

(a) Tract. Theol. Pol. c. 16. p. m. 185. (b) Annot. l. c. p. 238.

in viam esset reducendus. Verum nos contrariam Hobbesianæ sententiam demonstravimus, (a) quod nimirum Atheus, præterquam quod imprudenter agat, etiam peccet. Superest, ut ad objectionem & exceptionem Hobbesii respondeamus. Objicit, *Atheus non agnoscit Deum & Superiorem, ergo nullam legem habet, in quam proprie peccet.* Felices profecto Atheos, qui tam facile ab injustitia se liberare possunt, nimirum si tantum negent, quod Deo se unquam subjecerint. Verum enim vero, quoniam Deus ratione creationis & potentia, tum etiam ratione providentia & bonitatis, sibi perfectum, in omnes homines jus acquisivit, (*per Prop. 15. 16. Coroll.*) facile patet, Atheum injustissimum esse, quod non agnoscat Deum Creatorem & Conservatorem suum, ad quod tamen Deo jus perfectum quæsitum est. Quia legitima, sibi acquirendi jus in aliquem, causa est potentia conjuncta cum bonitate, si nimirum quis insignibus beneficiis aliquem sibi continuo reddit obnoxium, obligatur utique is, in quem beneficia conferuntur, ut bene de se meritum revereatur, eique obsequium, quantum honestatis ratio patitur, præstet. Quæ omnia Deo competere evidentissimum est.

§. XI.

(a) Cap. I. Prop. 10. Coroll. & Prop. 17. Coroll. 2.

§. XI. Nec quicquam proficit exceptio : *Atheum nunquam consensisse in subjectionem Dei*, quod tamen ad imperium perfectum omnino requiritur. *Respondetur* enim, etsi non consenserit Atheus in subjectionem divini imperii, ob hoc tamen maxime injustus est, quod consentire noluerit, cum nullas detrectati imperii causas allegare possit. Quid enim dignius, quam potentissimo Numini subjici ? & quid æquius, quam benignissimo Domino, citra cujus opem bene vivere nequeas, non obluctari ? Ergo si Atheus non consensit in subjectionem, hoc ipsum ab injustitia absolvere minime omnium poterit. Quod autem in rebus humanis consensus, subjicere se volentis, expressus requiratur, illud inde est, quia apud homines justus subesse metus potest, imperare cupientem non perfecte bonum esse, sed hominem non saluti subditorum, aut rerum suarum nimium aut unice studiosum. Inde homini, antequam se subjicit imperanti, merito deliberandi spatium concedendum est, nec antea libertati suæ naturali commodisque renunciassse censeri potest, quam consensu expresso in subjectionem superioris se dederit, & libertati suæ cesserit. Hoc vero deliberandi spatium de bonitate Dei, & an proficua sibi futura sit ista conditio, si homo se submiserit Deo, allegari in negotio Religionis adversus Deum

non potest. Quoniam satis jam omnibus ex lumine naturali innotuit de Potentia & Bonitate Dei. (a)

§. XII. Verum hic iterum excipitur, *Atcum ignorare, aut ignorare voluisse hæc omnia.* Respondetur, per ignorantiam affectatam non eludi posse jus alterius legitime quæsitum, res est tralatitia, satisque ab aliis exposita. Poterat enim, quemadmodum debebat Atheus, lumine naturæ Auctorem vitæ suæ, omniumque rerum investigare, quod dum supine negligit, utique peccat. Deum autem lumine naturali sciri posse, concedit *Hobbesius.* (b) Nequicquam autem excipit, etiam *Archimedes* invenisse, quam proportionem habeat Sphæra ad Cylindrum, inde tamen non sequi, quemlibet è vulgo idem invenire potuisse: Ita etiam homines ratione naturali utentes, scire quod Deus existat, inde tamen non sequi, homines voluptatibus, honoribus & divitiis deditos, illud scire potuisse. Frustra inquam hæc exceptio afferitur. Magna enim intercedit differentia, inter inventionem proportionis, quæ est inter Cylindrum & Sphæram, & inter inventionem aut cognitionem existentiae Dei. Quia (I) omnes, quicumque sunt mortales, ad cognoscendam
exi-

(a) Conf. Cap. I. Prop. 15. & 16. (b) l. c. p. 239.

existentiam Dei obligantur, sed paucissimi ad cognoscendam propositionem Sphæræ ad Cylindrum obstringuntur. Hac enim cognitione, citra salutis jacturam facile quis carere potest; illam vero nemo nisi cum præsentissimo exitio ignorare. (II) Cognitio & inventio existentiz Dei plana est & cuius obvia, secundum illud:

Et levis est cæpes, qui probat esse Deum.

Verum inventio & cognitio proportionis inter Sphæram & Cylindrum, non nisi præclari ingenii homini, & meditationibus Mathematicis assueto obtingere potest. Homines autem divitiis, voluptati & honoribus inhærentes, in eo non tantum errant, quod tanti faciant res brevi perituras, verum etiam haud leviter peccant, quod salutis suæ tam prodigi sint, ut Creatoris cognitioni cognitionem & cultum rerum creatarum anteponant.

§. XIII. Sequitur novum *Hobbessii* erratum, quod bonitatem Dei impugnat. Arbitratur enim, jus Dei in creaturas omne à potentia Dei derivari, ex quo concludit, potuisse Deum homines innocentissimos, & qui nunquam peccassent, citra injuriam affligere & occidere. Ita enim ipsum loquentem audimus: (a) *Iis, quorum*
 (G) 5 *rum*.

(a) Cap. XV. de Civ. §. 5. & 6. it. in *Leviath.* Cap. XXXI.

rum potentia resisti non potest, & per consequens Deo omnipotenti, jus dominandi ab ipsa potentia derivatur. Et quotiescunque Deus peccatorem punit, vel etiam interficit, est ideo puniat, quia peccaverat, non tamen dicendum est, non potuisse eundem juste affligere, vel etiam occidere, etsi non peccasset. Neque si voluntas Dei in puniendo, peccatum antecedens respicere possit, ideo sequitur, quod affligendi vel occidendi jus non à potentia divina dependeat, sed à peccato hominis. Quam sententiam suam probat testimonio sacrarum literarum ex historia Jobi: (a) Tum etiam ratione, quia scilicet Deus morbosa fecit animalia, quæ nunquam peccaverunt, quare hominem non peccantem miserum facere potuisset.

§. XIV. Nos non potentiam modo, sed etiam bonitatem Dei ex perfectionibus ejusdem demonstravimus. (b) Quæ quoniam in Deo sunt, qui unicus nec sibi contrarius est, sequitur, quod nunquam justitia à bonitate, neque hæc ab illa separari possit, sed amicabili quodam nexu in omni opere conjunctæ debeant conspici. Ex quo error Hobbesii intelligitur, qui potentiam Dei ab ejus bonitate ita divellit, ut

Deum

(a) Cap. XXXIIX, 3. C. XL, 7. & Joh. IX, 3. (b) Cap. I. Prop. 15. & 16.

Deum potentem tanquam Tyrannum aliquem, suis viribus contra æquitatem grassantem, nobis proponit; Cum tamen meminisse debuisset, divinæ naturæ tam proprium esse benefacere, quam punire, idque eo magis, quod alio loco statuit Deum remittere posse peccatum, sine satisfactione propter sanctitatem suam, quæ ob benignitatem præstet justitiæ. Unde consequitur, quod bonitas divina justitiæ & potentiæ, non possit permittere, ut innocentem plectat, licet justitia & potentia (ex Hobbesii hypothesi) concedere possit, ut nocens sine pœna dimittatur.

§. XV. Sed ut ad §. 13. argumenta Hobbesii respondeamus, ordiemur per ὕπερβον πρὸς τὴν ἀπολύτην à solutione istius, quod ex ratione peti- tum est. *Inquit enim, si Deus animalia facere potuit morbosa citra ipsorum culpam, ergo hominem potest affligere aut occidere, etiamsi non peccasset.* In qua argumentatione primo nullius consecutionis nexus apparet. A defectibus enim naturalibus animantium, ad pœnas aut malum morale, citra antegressam culpam, homini infligendum, male concluditur. Nam defectus in animalibus naturales nihil mali arguunt, nec cum aliqua injuria conjuncti sunt. Non enim musca conquerendi rationem habet, quod Deus magnitudinem Elephanti ipsi non

con-

concesserit, aut quod vita ejus antiquæ quercus ævum non superet, quoniam in suo genere satis perfecta est musca, nec ei subtrahitur, quod ad ejus perfectionem necessariam pertinet. Homo autem, qui sine culpa punitur, habet conquerendi causam. Quoniam semel ipsi à Deo natura sua concessa est, quæ si nulla antegressa culpa iterum destrueretur, omnino conqueretur homo de *inconstantia* divina, quæ concesserat aliquid, quod deinceps nulla de causa iterum rapit. Neque vero *bonitas* Dei permittit, ut illud, quod ex liberalitate Creationis optimo jure possidetur, iterum sine ratione auferatur, multo minus, ut homini nihil mali merito malum infligatur. *Secundo* negari potest, Deum morbosa effecisse animalia, quæ peccare non poterant, *sine omni causa*. Animalia enim quia erant sub dominio hominis, homo autem à Deo defecerat peccando: consequens erat, ut ob delictum hominis etiam ea, quæ ejus potestati suberant, in pejus ruerent. Quemadmodum ob eandem rationem terram maledictionem subiisse legimus. (a) Quapropter, etiamsi animalia morbosa sint facta citra ipsorum peccatum, quod committere non potuerunt, non tamen

citra

(a) Gen. III, 17.

citra *omne* peccatum ipsis accidit, quod morbis subjicerentur. Quoniam enim ipsorum Dominus peccaverat, hujus labes etiam in ipsa bruta, tanquam infortunium aliquod transit.

§. XVI. Sed quid ad S. Scripturæ testimonia respondebimus? Deus enim cum puniret, vel potius castigaret *Jobum*, ad potentiam suam videtur provocare. (a) Respondebimus, Deum non modo videri ad potentiam suam provocare, sed ne quid *Hobbessio* sine ratione negetur, revera provocasse. Id vero non est in quæstione, an Deus in affligendis hominibus ad potentiam suam provocet, sed an ad potentiam *solam* provocet, ut omnis quidem bonitatis respectum in pœnis inferendis removeat. Hoc est, quod *Hobbessio* negamus. Nihil autem proficit allegando caput hoc, in quo vehementer errat, si credit, Deum ad *solam* potentiam provocare, quod *Jobum* castigaverit. Namque ut nihil de *Sapientia* dicamus, quam Deus toto hoc capite explicite confirmat, *Bonitatem* divinam expresse allegaram videmus capite sequenti, quod continuatio præcedentis est. Ibi enim dicitur, Deum comparare corvis escam, (citra dubium ex bona-

nita-

(a) Job. XXXIIX, 3. seq.

nitate,) vociferantibus ad eum ex penuria. Multo adhuc infirmius est argumentum, quod pro sola potentia in affligendis hominibus *ex cap. XLII, 7.* ducitur. Ubi Deus Jobum laudat, quia rectius locutus erat, quam amici ipsius. Namque illa *rectioris* locutionis approbatio in Jobo non in eo consistit, quod *Jobus* solam potentiam Dei agnoverit, quæ innocentem sine injuria posset punire: Sed causa cur laudatus fuerit *Jobus* præ amicis, patere potest ex commate 3. *cap. XLII.* Nimirum quia fatetur *Jobus* se non intellexisse mirabilia, quæ supra ipsum erant, adeoque ex humilitate se ignorare divina agnoscit, cum contra amici ejus causam mali voluerint investigare, aut se investigasse falso & arroganter putarint. Quæ animi *presumptio* aperte satis conspicitur, dum *Elibu* dicit, coarctari se spiritu ventris sui, hinc ostendendam esse sententiam suam, ne venter, sicut utres novi, sibi funderetur. (a)

§. XVII. Pergit tamen Noster objiciens locum Scripturæ, (b) ubi Servator de cæco ab infantia nato inquit: *Neque hunc, neque Parentes ipsius peccasse, sed cæcum natum fuisse, ut*

ope.

(a) Job. XXXII, 17-19. (b) Joh. IX, 3.

opera Dei manifesta fierent in eo. Ex quo patere censet, Deum punivisse hominem nullo antegresso peccato. Respondetur, argumentum fortassis probaret aliquid, si *Hobbefius* ostendisset, cœcum, de quo sermo est in historia Evangelica, nullo prorsus unquam peccato contaminatum fuisse. Hoc vero neque probare conatus est, nec probare unquam poterit. Unde, hoc tantum sequitur ex objectione allata, potuisse Deum ob conatam peccati labem variaque vitæ delicta, sine injuria omnibus hominibus cœcitatæ pœnam irrogare, disposuisse interim, ut aliquis & inprimis hic unus ob causas singulares cœcitate plecteretur, licet hic delicto quodam graviore, uti Judæis persuasum erat, *nibilo* peccarit *plus, quam cæteri omnes.* Ex quo manifestum est, cœcum hunc non ab omni quidem peccati labe fuisse immunem, sed si comparatio sit instituenda, ipsum non tam enormiter peccasse, quantum vulgo deliquisse putantur ii, qui ejusmodi naturæ defectu, qualis est cœcitas, mulctantur. Quod autem cœcus hic ab omni peccato remotus non fuerit, inde colligitur, quod omnes peccati labe natura contaminati nascamur, nec ulla ratio appareat, cur hunc ejusque parentes ex horum numero eximere veli-

velimus. (a) De variis autem sententiis circa hunc locum, & quid Christo ansam huic responsioni dederit, videatur dissertatio *Dn. D. Ittigii* ad hunc locum. (b) Ubi illud tantum, tanquam ad rem nostram apprimè faciens, notandum esse existimamus, quod Christo in usu fuerit positum, ut, cum Discipuli in causas aliorum peccatorum, aut casuum haud frequenter contingentium rationes, curiosus quam ipsorum intererat, inquirere instituerent, ipse hunc docendi & ad magis salutaria ipsos instituendi modum usurparit, quod cupidos inquirentium animos à quæstione ex curiositate non adeo proficua proposita, deflectens, ad doctrinas magis cognitu necessarias & utiles traduceret. Non dissimili ratione Christum hoc loco cum Discipulis suis egisse, ex responsione ejus ad ipsorum propositam quæstionem apparet. Cum enim ipsi, problematis physico-moralis, de causis & origine cæcitas, quæ homini contigerat, accuratam plenissimamque solutionem expererent,

(a) Add. Curcellæus Opp. pag. 735. seq. de Jure Domini Div. in creat. & Brochmannus Syst. Theol. A. de Prædest. c. 3 qu. 7. (b) Exrat in *Enneade Theol. Exercit.* pag. 109. in primis §. 48. seq.

rent, atque à Magistro suo expectarent, hic leviter tantum propositam quaestionem attingens, ipsos de alia, ipsis scitu magis utili re, cogitare admonet, nimirum eccitatis calamitatem homini accidisse, ut gloria divina illustraretur, secundum elegans illud Isidori Pelusiotæ dictum: *Claudicare permessa est natura, ut artificis gloria celebretur.* Præparare itaque Christus hac responsione discipulos potius maluit, ad divinorum operum contemplationem, quam ut quaestionis propositæ explicatam decisionem querentibus traderet. Existimans multo esse salubrius, gloriæ divinæ illustrationem in omni re atque opere querere, quam originem & causas alienorum peccatorum curiose scrutari. Proinde neque necessarium hoc loco, ubi brevitatem consecretamur, esse putamus, prolixè inquirere, an particula *iva ut*, sit *eventualis*, uti quidem *Chrysostomus*, *Theophylactus*, *Tarnovius*, *Maldonatus* aliique existimarunt, an vero *causalis*, quod *Estio* & *Beza* placent. Non enim absurda eorum est sententia, qui causam denotari tradunt, si ad permissionem & consilium Dei; & eventum, si ad naturæ defectum respexeris, adeoque utrumque admittendum esse judicant. Illud magis ad rem

(H)

per-

pertinere putamus, ut notetur quod Christus neutram ex opinionibus discipulorum amplectatur, sed aliam causam adjungat. Cum enim discipuli opinarentur, alterutrum necessum esse, quod vel cæcus ipse enormiter pro cæteris peccarit, aut ipsius parentes flagitium ingens commiserint, Christus utrumque eo sensu, quemadmodum illud discipuli de crimine insigni intelligebant, negat, adeoque respondet, naturam hoc casu defecisse, ut illustraretur gloria cœlestis. Qui defectus naturæ in homine conspicuus erat non quidem sine omni causa, sed quæ talis tamen, haberi non debeat, quasi cæteri mitiora meriti fuissent, si divina justitia, secundum rigorem cum ipsis agere voluisset.

§. XIIX. Ulti Hobbesius potentiam Dei hætenus ita extendit, ut bonitati ejus nullum relinqueret locum in pœnis infligendis: ita ex eodem fonte manavit, quod nos horrere Deum ita jubet, ut nunquam dicere debeamus: *Hoc vel illud non consistere potest cum Justitia divina*, (a) animadvertens mirum objectionem, quod plectendi potestas

(a) De Civ. cap. XV. §. 15. p. 262.

stas innocentem, consistere non possit cum ejus justitia. Quia Justitiæ summa lex est, punire fontes, dimittere autem innocentes, & qui nihil peccarunt. Quare ut hujus argumenti vis evitari posset, statuendum erat, Deum esse timendum, id quod nemo negat. Sed timore aut potius horrore adeo superstitioso, & contra omnem rationis sensum, ut nunquam etiam modestissime rectæ judicii lance rem perpendenti pronuncian- dum sit, *hoc vel illud dogma non potest consistere cum justitia divina.* Ubi quidem concedendum est, recte ista opponi hominum impatienter adversa tolerantium præcipiti judicio, qui ubi vel levia quædam sibi, vel aliis contra expectationem evenire sentiunt, statim effutiunt potius, quam proloquuntur, hæc non posse cum Justitia divina consistere, licet istiusmodi castigationes divinas delictis sæpe leviter ab se habitis, maxime promeriti fuerint. Hoc tamen non obstare debet, quominus recto judicio rem expendens dicere possit, sævitiam, fraudes, inconstantiam, tyrannidem similiaque, & quæ ex his promanant actiones, non consistere posse cum justitia divina.

§. XIX. Levis autem est objectio, quæ l. c. additur, *quod homines contumelia ducant, si filii jus eorum disputent, aut justitiam suam aliter, quam imperatis suis metiantur.* Non enim simpliciter filiis male, vertitur, si modeste in jura parentum atque sua propria inquirent, aut si justitiam ex sana ratione, & paulo aliter quam ex solis imperatis sui Patris metiantur. Quod inde patet, quia jura etiam civilia, parentum jura in liberos circumscribunt, ut eos nec sine ratione exheredare, crudeliter tractare, nec ipsorum consensum circa matrimonium filiorum simpliciter denegare possint. Pater enim exheredans filium tenetur allegare rationes. (a) Idem parens non obstante patria potestate, quæ tam sancta jure Romano erat, ut ad jus vitæ & necis extenderetur; (b) emancipare tamen filium tenebatur, si peccandi necessi-
ta.

(a) Et jure quidem civili ex Nov. 115. C. 3. Add. Ludwell. Comment. in VVesendec. ad ff. & Annot. Rich. Malcomessii pag. 538. Schnobel. ad ff. Diff. XVI. Th. 16. & D. Beieri in Harm. Struvio-Schnob. Disp. 16. p. m. 512. (b) L. II. ff. de lib. & posth. L. ult. C. J. de patr. potest. Conf. Hopp. Comment. ad Inst. de P. potest. pag. 78.

tatem ei inferret, vel supra modum dure tractaret, vel premium emancipationis accepisset, vel si impubes adoptatus se liberari major factus postularet. (a) Neque parentum dissensum in majoribus liberorum nuptiis, ullum afferre impedimentum, si nulla causa subsit, confirmat *Dn. ab Andler* (b) Non igitur simpliciter, sed tantum temeraria & procax inquisitio liberorum in jura Parentum prohibetur. Neque parentes exandescendi rationem habent, si filii ea moderatione, quæ ipsos decet, legitima sibi jura afferant, id quod judicio fori civilis & hodierni ipsis quoque conceditur. Bene autem habet, quod Deus nec affectuum imperio ducatur, quibus parentes persæpe sunt obnoxii, nobis verb. rationem concesserit ac jusserit, ut hujus recto judicio & dictamine, in ejus timore & cultu versetur, ne præpostero cœcoque zelo ad absurda deducamur. Sed quæcunque recta ratio per claras demonstratio-

nes,

(a) Conf. Hub. in Lect. I. Contr. tit. Quibus modis solv. patr. potest. num. 14. Conf. Hopp. 151.

(b) Jurispr. l. 1. tit. 6. P. 2. pag. 217. & Struv. Ispr. l. 1. t. 6. §. 6.

nes, non convenire cum justitia divina dictitaverit, nunquam admittamus, quale est illud, Deum vel damnare innocentissimos, vel non servare aut fallere in iis, quæ promissit, posse, similiaque. Hæc enim scimus cum justitia sua non consistere. Modo caveamus, ne temere aut nimis præcipitanter rem aliquam repugnare justitiæ divinæ arbitremur, non expensis aut cognitis omnibus omnino causis, quibus perspectis, aliter forte sentiendum nobis atque mutanda mens esset.

Atque hæc de aberrationibus *Spinofianis Hobbesianisque* hæctenus, cætera, quæ notari poterant, imo etiam quæ de animi caractere *Spinosæ & Hobbesii* causisque, cur in tot errores inciderint, non inutiliter fortassis monenda erunt, forte alibi, si ita placuerit.











